
V
B
J
C
36607
I

186
156
55
+
166

CONFOEDERATA DEVOTIO.

SIVE

Ad DEUM Trinum & Unum,
Ad Beatissimam MARIAM
semper Virginem,
Ad Sanctos Curiales cæli, ac Patronos Hominum
Devotarum Exercitationum
NOVUM COMPENDIUM.
Ex approbatis Authoribus,
DEI, MARIÆ,
SANCTORUM ac SANCTARUM CULTORIBUS:
atq; Ascetis salutis æternæ, animarum
nostrarum vigilantissimis Provisoribus,
EXCERPTUM.
deinde
Iuxta suavem sibi orandi consvetudinem
In novum ordinem
DISPOSITUM.

Authore indignissimo scabello divino:

Anno Domini
qVo Leo nIDVM poLonæ aqVILæ sVIs sæVIens InIVrIIs VeXat.

CRACOVIÆ, Typis Academicis.

M. Micinski Pro bibl. orphan. Collegii Jundrici Crac.

VVVVVVV
LLL
IIIIIIII
D
M.
X

M.DLLLX

(1703.)

1660
43 = 1703.

35
8




Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium; Diabolo supplicium, gratum DEO obsequium; & pænitentiæ, religionis laus tota, perfecta gloria, spes certa; sanitas incorrupta. *S. August: ad Diosc.*

Orationibus mundamur, lectionibus instruimur, utrumq; bonum est si liceat, si non licet utrumq; melius est orare quàm legere. *S. Chrisost: de sum: bon cap: 8.*



SANCTISSIMÆ INDIVIDUÆ TRINITATI.



Llud Sanctissimæ tuæ Divinæ Majestati offero, in quo tibi sancti placuerunt Ascetæ: ô Divinissima & incomprehensa Trinitas! studium hoc meum; non est meum: sed illorum, qui semper Laudi Divinæ, cultui Beatissimæ, honori Sanctorum, atq; zelosissimis pro salute spirituali, vigiliis indefessi vacaverunt. Porrò ego propaganda divinæ gloriæ: (tepidissimus quidem proreor) sed ex totis visceribus animæ meæ cupidus: sed ad aures cælestium ejaculatorias colligens exercitationes: pro exercitio meæ indignæ devotionis, tibi eas DEVS Trine & une (jam quidem ab aliis pridem oblatas) iterum cum omni humilitate offero: ut qui labore meo cælum mereri non valeo; (Quid enim sum nisi imbecillis homo?) aliorum sanctis operibus; atq; orationibus id assequar? ut tuâ gaudeam frui beata visione; A quâ; timor me quidem ex magnitudine peccatorum meorum erumpens, justè repellit, sed clementiùs infinita misericordia tua allicit: cùm non velis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat. Hanc igitur, ô Sanctissima Divina Trias; misericordiam tuam ut reconciliare sciam, cùm devotissimis ad tuam Sanctissimam Majestatem asceti fœdus tale pepigi, ut sicut illi efficacissimis suis orationibus tuam infinitam sibi misericordiam evicerunt: ità ego illorum precibus utinam impetrem, ut miserearis & propitia sis omnibus infirmitatibus meis, peccatis, & in hora mortis gravissimis angustiis. Itaq; DEVS Trine & Vne perfectè ab aliis elaboratum opus harum devotionum: imperfectè à me in novum ordinem digestum: perfectione tuâ divinâ clementer adumbra, & quod tuæ Maximæ gloria devotissimè consecrat Mortalis, sine mortis umbrâ dirigere, & suscipere digneris in vitam mihi æternam: Amen.

AMICO



AMICO LECTORI.

AVem me fortè dixeris illam! quæ alienâ gloriatur plumâ: sed priùs cogita ex collectis devotarum exercitationum, fructum me velle quærere, non aërem verberare: pro suavitate spiritûs mei, hæc opera jam ab aliis pridem præparata operari ausus sum. Tibi si placet hæc mea DEUM orandi methodus, mecum illâ utere: sin minùs, me sic orare permitte.

Ad M. D. G. B. M. V.
Honorem.
Sanctorum Omnium
Laudem.

IMPRIMATUR.

M. PETRUS PRACZLEWIC, Sâc: Th. Doctor & Professor, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Librorum in Diæcesi Cracoviensi Censor.

mpp.

EXER-



EXERCITIUM MATUTINUM.

IN Nomine DEI Patris, qui me creavit; Filii, qui me suo pretioso Sanguine redemit; & Spiritûs Sancti, qui me sanctificavit, surgo. Ipsi honor, laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Benedictus sis DEUS meus
Qui protector eras meus,
Hac nocte præterita,
Cor meum & intellectum,
Memoriam & affectum,
Tibi Deus offero.
Quidquid loquar, cogitabo,
Agam, patiar, amabo
Te DEUS in omnibus.
Malo mori quàm peccare,
Contra vitia pugnare
Volo totis viribus.
O MARIA! ô Beati!
Este mei advocati,
Cum Custode Angelo.

JESUS MARIA JOSEPH,
Vobis dono cor meum & animam meam.

Commendatio sui ipsius ad B. V. MARIAM.

O Domina mea, Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, & animam meam

& corpus meum tibi commendo, omnem ſpem meam & conſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam Sanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur, ſecundum tuam tuiq; Filii voluntatem, Amen.

O Amantiſſima Mater, glorioſa DEI Genitrix MARIA. Suſcipio te novo amoris affectu, in Matrem meam dulciſſimam unice colendam, amandam, imitandam, glorificandam, ſuſcipe tu quoq; me licet indigniſſimum in peculiariſſimum Filium, adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis, ô clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA! Amen.

O Angele Dei! qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hac die illumina, cuſtodi, rege & guberna.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, ut cuncta noſtra Oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Actus Virtutum mane dicendi.

ADoro te Sanctiſſima TRINITAS, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ, unus & ſolus Deus.

Deiicio me in abyſſo mei nihili ſub conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ.

Credo firmiſſimè paratus mille vitas profundere in conteſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelaſti, & per Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

Omnem ſpem meam in te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive Spiritualis, ſive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum deſidero, ſpero & volo ſolum conſequi de tua manu Deus meus, vita mea, & unica ſpes mea.

Conſigno tibi hodie & in perpetuum corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes ſenſus meos.

Prote-

Protestor me non consentire neq; consensurum unquam (quantum in me est,) in rem quæ fiat vel cum minima offensa tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè impendere omne esse meum, facultates ac vires meas ad servitium & gloriam tuam.

Paratus sum suscipere quascunq; adversitates mihi paternâ tuâ manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantusquantus sum, impendere & procurare, ut ab omnibus tibi serviatur, atq; omnes homines, te glorificent, & ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summè de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria in cælo & in terra.

Gratias tibi ago, infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata sunt, & in dies incessanter à benignissima tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam bonitatem propter seipsam ex toto affectu cordis & animæ meæ, & vellem si possem, amare eo amore, quo te amant Angeli & homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinæ Majestati, in unione meritorum Passionis vitæ & mortis Christi, Beatissimæ semper Virginis, & omnium Sanctorum ex nunc pro semper omnia opera mea, pretiosissimo Sanguine JESU Redemptoris nostri lota & involuta.

Statuo omnino participem me facere quantum possibile est indulgentiarum per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragii, pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum offerre in pœnitentiam & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus cùm tu sis infinitè dignus omni amore & servitio, doleo quantum possum maximè de omnibus meis peccatis illaq; detestor supra omnia mala, peto humillimè veniam

faciòq;

facioq; firmiſſimũ propoſitum, nunquam offendédi tuam Bonitatem in æternum.

In tua vulnera me proiicio o JESU! ibi me abſconde & defende hodie & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi tui & amandi in æternum, Amen.

Salutatio SS: Sacramenti.

O Amantiſſime Domine JESU! qui hîc ſub mirabili SACRAMENTO contineris, ſis in æternum benedictus, & ultra, qui me ingratum hucuſq; tolerasti. Agnoſco bonitatem tuam & gratias ago, laudo, glorifico, æternumq; ingeminare deſidero, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. in te credo, ô ineffabilis veritas! in te ſpero, ô æterna bonitas! te amo, ampliuſq; amare deſidero, ô ſumma bonitas! Gaudeo de omni honore tibi unquam exhibito; compatior de injuriis & diminutione gloriæ tuæ! o ſi reſarcire liceret. Placet quod propoſui, renovo quod vovi; utinam & ipſe te nunquam offendiſſem: doleo, doleo de omnibus, firmiterq; ſtatuo ampliùs non peccare, & præcipuè peccato N. Inſuper ſtatuo omnia in gloriam & complementum tui beneplaciti facere maxime opus N. Sed quia nihil poſſum ſine te, & omnia in te, illumina tenebras meas. Adjuva imbecillitatem, largire gratiam, & tuam Sanctam benedictionem. Amen.

Ad Patronum menſtruum.

DEus, tuorum gloria Sanctorum, præſta quæſo, ut interceſſione Sancti N. Patroni mei, liberer à cunctis malis animæ & corporis; ac eodem duce & comite ſecurior ad vitam perveniam ſempiternam, Amen.

IV. Ex P. Petro Caniſio Soc: JESV, deſumpta mane & Veſperi uſurpanda.

PAx Domini Noſtri JESU Chriſti, & virtus Sacratiſſimæ Paſſionis ejus, ſignum Sanctæ Crucis, & Titulus Triumphalis,

phalis JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, integritas quoq; Beatissimæ Virginis MARIÆ, custodia SS. Angelorum, præsertim Tutelaris mei, & suffragia omnium Electorum Dei sint inter me & omnes inimicos meos, visibiles & invisibiles, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

Gratiarum actio pro omnibus beneficiis.

QUod muneris mei est etsi sit exiguum, gratias Majestati tuæ ago quas possum maximas pro innumeris & maximis beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ usq; in hanc horam de tua benignitate suscepi; pro innumeris, quæ nunc & in hoc temporis momento à te suscipio; pro infinitis, quæ usque in finem vitæ meæ, & per totam æternitatem sum accepturus ex thesauris immensæ bonitatis & largitatis tuæ.

Inter fæces & lutum terræ hujus vermiculus hærebam, quem oculo clementiæ tuæ intuitus, ut ab æterno ita & in tempore, erexisti de stercore, & inter filios tuos, inter amicos tuos collocasti, præsta ut discam timere & amare te, qui amas creaturas tuas, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.

ORATIO DIVI THOMÆ.

Quam quotidie flexis genibus recitare solebat.

COncede mihi, misericors DEUS, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere, ad laudem & gloriam Nominis tui ordina statum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut sciam, & da exequi sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine DEUS meus, inter prospera, & adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar: de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te vel abducat à te; nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, & chara mihi sint omnia tua propter te, & tu Deus meus præter omnia.

Tædeat me gaudii, quod eſt ſine te, ne aliquid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine labor, qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſine te: frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me, Domine Deus, obedientem ſine contradictione, pauperem ſine murmuratione, caſtum ſine corruptione, patientem ſine abjectione, humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine dejectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, timentem ſine deſperatione, veracem ſine duplicitate, operantem bona ſine præſumptione, proximum corrigere ſine elatione, ipſum ædificare verbo & exemplo, ſine ſimulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio; da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio, da invictum, quod nulla frangat tribulatio, da liberum, quod nulla ſibi vendicet perverſa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiam, te fideliter exſpectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem, tuis pænis con figi per pænitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudiis in Patria perfrui per gloriam. Qui cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.



PRA-



PRAXIS EXAMINIS CONSCIENTIÆ.

1. SOLVE DEO GRATES.

O Pater misericordiarum! ô mi Creator! mi Salvator, mi Redemptor, mi Protector, te benedico cum omnibus Angelis, & curia Sanctorum universa. & ex intimis præcordiis gratias ago pro omnibus & singulis animi & corporis donis liberalissimè mihi aliisq; collatis, præsertim hoc mense hodieq;, his & his N. N. Et quid pro his retribui tibi à me requiris; ut retribuam.

2. PETE LVMEN.

Illumina me, Domine, qui observasti omnes semitas meas & vestigia pedum meorum considerasti. O veni lux vera! & pelle tenebras cordis mei, ut videam quid desit mihi, & quid displiceat tibi ut omnem iniquitatem odio habeam, & per gratiam tuam seriò emendem.

3. DISCUTE MENTEM.

Hîc faciendum conscientiæ suæ examen est sive cognitio sui.

4. DELICTI VENIAM POSCE.

O Pater amantissime! quem amo super omnia, ecce hæc reddidi mala pro bonis tuis. Doleo ex toto corde meo & intimis medullis, me infinitam bonitatem tuam toties offendisse. Ignosce indignissimo mihi, ô omne bonum meum! Parce, ô benignissime JESV, his & omnibus ocultis meis! per gemitus tuos & lachrymas, per spinas & flagra, per Crucem & vulnera, per omnes misericordias tuas.

5. RECIDE MALUM.

Iterumne peccabo? corpus & animam meam vulnerabo? vulnera & sanguinē Christi, cælum & omnia bona ob rem nihili

prodigam? Non faciam, ô Bone JESV, non faciam, meritis tuis fultus & gratiâ. Persequar inimicos, id est, vitia mea; & cadent subtus pedes meos. O succurrite omnes cælites peccatrici huic animæ! tuq; Angele mi custos, vosq; Patroni mei, coram quibus propono hæc peccata N. N. emendare, tales peccandi occasiones subterfugere, paratus ad Dei gloriam hæc N. agere & illa N. quando occurrent tollerare; Deus propitius esto mihi maximo peccatori.

O R A T I O
Ad BEATAM VIRGINEM.

O MARIA Dei Genitrix, & Virgo gratiosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominum JESVM die tertia à mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ; & apud eundem tuum & Dei natum unigenitum in die novissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris iuvare, ut perpetuæ damnationis sententiam, per te pia Mater & Virgo, valeam evadere; & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire. Amen.

ORATIO S. BERNARDI.

O Bone JESV! ô piissime JESV, ô dulcissime JESV, ô JESV Fili MARIÆ Virginis, plenus misericordiâ & pietate, ô dulcis JESV, secundum magnam misericordiam tuam, miserere mei. O clementissime IESV, te deprecor, per illum Sangvinem preciosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserũ & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen Sanctum IESV invocantem. O nomen IESV, nomen dulce; nomen IESV, nomen delectabile; nomen IESV, nomen confortans,

Quid

Quid est enim IESVS? nisi Salvator. Ergo IESV propter nomen Sanctum tuum esto mihi IESVS, salva me, ne permittas me damnari, quem de nihilo creasti. O bone IESV, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis IESV, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O Benignissime IESU, miserere mei dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ utilitas in Sanguine meo dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine IESV, neq; omnes qui descendunt in infernum. O amantissime IESV, ô desideratissime IESV, ô mitissime IESV, ô IESV, IESV, IESV, admitte me intrare in numerum electorum tuorum, ô IESV salus in te credentium, ô IESV solatium ad te confugientium, ô IESV dulcis remissio omnium peccatorum, ô IESV Fili MARIÆ Virginis, infunde in me gratias S. Spiritus statui meo necessarias, sapientiam, charitatem, patientiam, puritatem, humilitatem, fortitudinem, &c. ut possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, in te gloriari nunc & in æternum Amen.

PIA EXERCITATIO ERGA CHRISTUM CRUCIFIXUM,

Et Quinque ejus Vulnera,

ORATIO PRÆPARATORIA.

EN amantissime IESV, qui Sponsus Sanguinũ mihi esse voluisti, ad pedes tuos prosternor, ut meum in te amorem debitamq; gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi mi IESV? qui usq; in finem dilexisti me, ac pedibus manibusq; imò & cordi tuo inscripsisti me magno sanè & conspicuo charactere. quis mihi hoc tribuat? ut sicut tu me, ita & ego te cordi meo inscriptum circumferam, & sicut mei memoria, tibi, sic tui, mihi

nunquam excidat. O IESV, quàm profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantùm manus, ac pedes, verùm & opulentissimũ pectus mihi aperiri voluisti, ut inexhaustâ bonorũ cælestiũ affluentiâ desideriũ meum expleas. Suscipe hæc mea, quæ colendis sacris tuis quinque vulneribus, vota persolvo, aditum spero, ad optatissimos hos vitæ fontes misero non intercludas.

ORATIO I.

Ad S. Vulnus Pedis Sinistri.

SAlve ô benedictum Vulnus sinistri pedis tui, mi IESV, quod in Spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius Sanctissimi Vulneris merito, meos evellas pedes à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, & à lapsu animã meã prætereves. Non veniat mihi pes superbiæ, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito, & Spiritu humilitatis à te suscipiar.

Ad Sacrum hoc Vulnus tuum depono, & offero omnem afflictionem meam, ut hanc cum cruce & passione tua coniungas, gratiamq; largiaris, quâ omnes adversitates & miserias amore tui superem, tuæq; me semper voluntati conformem, Amen.

Pater noster &c.

ORATIO II.

Ad S. Vulnus Pedis Dexteri.

SAlve ô benedictum Vulnus dexteri pedis tui, mi IESV, quod in Spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui Sacratissimi Vulneris merito, dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te Deum ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc Vulnus tuum depono, & offero omnem fortunam, ac felices successus meos, quos mihi divinæ providentiæ tuæ dispositio clementer indulsit, ne illorum insolentiâ elatus animus, te summum bonum meum ad iram unquam provocet, Amen.

Pater noster &c.

ORA-

ORATIO III.

Ad S. Vulnus Manus Sinistræ.

SAlve ô benedictum Vulnus Sinistræ manûs tuæ, mi IESV, quod in Spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui Sacratissimi Vulneris merito in omni bono proposito me confirmes, tantumq; insuper mihi amorem præstes, ut dicere queam, læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ad Sacrum hoc Vulnus tuum depono, omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut sciens, volens, unquam commisi. Tu, mi IESV, pretiosissimo tuo Sanguine illa abluere digneris, ne coram iustissimo Tribunali tuo, æternæ damnationis sententiam contra me exposcant, Amen. *Pater noster &c.*

ORATIO IV.

Ad S. Vulnus Manûs Dexteræ.

SAlve ô benedictum vulnus Dexteræ manûs tuæ, mi IESV, quod in Spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut huius tui Sacratissimi Vulneris merito uberem mihi gratiam, & opem contra hostium meorum visibilium, & invisibilium conatus largiaris, & in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam, venite benedicti.

Ad Sacrum hoc Vulnus tuum depono, & offero tibi omnia bona opera mea (immo tua, quæ tuæ gratiæ omnia ut debeo adscribo) cum humillima obsecratione, ut ea tuis Sanctissimis operibus unita æterno Patri offerre, meamq; inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris, Amen. *Pater noster &c.*

ORATIO V.

Ad S. Vulnus Lateris CHRISTI.

SAlve ô benedictum Vulnus Lateris tui, mi IESV. Salve ô fons amoris, ô thesaure inæstimabilis, ô requies animæ meæ!

aufimne

ausimne benignissime IESV ad Sacram hanc aram, ad hoc sanctum Sanctorum accedere, ardensquè amore cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi IESV, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugij domo arcere velis.

Eia anima mea accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi Sponsi tui, hic te omnibus molestiis tuis, ac curis quibus opprimeris, exonera, hic desideria tua & cupiditates exple, hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, ô IESU, amore tuo duce per amabilissimum Sacri Lateris tui vulnus, ad cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate, ô IESU, oro ut ignoscas, quidquid unquam corde, ore, aut opere in te peccavi. Hoc sacro Sanguinis tui balneo munda cor meum, & benedicti cordis tui formā ac speciē imprime, tuiq; amoris igne accende, ne quidquam in posterū præter te amem, aut desiderē. Ad Sacratissimū hoc cordis tui Vulnus, mi IESU, omnia cordis mei vota ac desideria pono: ita oro cor meum cordi tuo adstringe, ut nullo unquam tempore ab invicem avellantur, ut verè cum Apostolo exclamem, quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque ulla creatura poterit nos separare â charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro. Rom. 8.

Salutationes ad omnia membra CHRISTI.

SAlve tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum. Salve speciosissima Salvatoris nostri IESV Christi facies pro nobis sputis & alapis cæsa. Salvete benignissimi Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri oculi pro nobis lachrymis perfusi. Salve mellifluum os gutturq; suavissimum Domini nostri IESV Christi pro nobis felle & aceto potatum. Salvete aures nobilissimæ Domini nostri IESV Christi Sal-

sti Salvatoris nostri pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salve collum humile IESV Christi pro nobis funibus ligatum, dorsumq; Sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete Domini nostri IESV Christi manus & brachia pro nobis in cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri pro nobis in Passione conturbatum. Salve latus gloriosissimum Domini nostri IESV Christi pro nobis lanceâ militis perforatum. Salvete Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri Sacra misericordiæ genua pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri pedes adorandi pro nobis clavis affixi. Salve totum corpus Domini nostri IESV Christi pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve Sanguis pretiosissime, de Corpore Domini nostri IESV Christi Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve Sanctissima Domini nostri IESV Christi anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie, & quotidie, animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos & benefactores, & consanguineos, animas Parentum, fratrum, sororum, & omnium amicorum meorum, ut nos protegere liberare & defendere digneris, ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum, visibiliũ & invisibiliũ, nunc & in perpetuũ Amen.

ORATIO DEVOTA.

SAcrosanctæ & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESV Christi humanitati: Beatissimæ & gloriosissimæ semperq; Virginis MARIÆ fœcundæ integritati; & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura, nobisq; remissio peccatorum omnium, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

℣. Beata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIONES AFFECTUOSÆ

De Paßione CHRISTI cum Indulgentiis

ORATIO PRÆPARATORIA.

MI dulciſſime IESU, ad Paſſionis tuæ glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me affectuoſiſſimè inclino, Tuæ Sanctæ Crucis Regale vexillum, in tuo nomine, Chriſte, adoro, tuam Spineam coronam, clavos, lanceam, tuum ſanguinem, tuam mortem, tuam ſepulturam, Chriſte, ſupplex adoro, & glorifico. Confige cruci tuæ manus meas, & pedes meos, ac totum Paſſioni tuæ conforma ſervum tuum Domine.

ORATIONES SANCTÆ BRIGITTÆ

ORATIO I.

O IESU Chriſte, æterna dulcedo te amantium, jubilus excedens omne gaudium, & omne deſiderium, ſalus & amor peccatorum, qui delicias tuas teſtatus es eſſe cum filiis hominum, propter hominem homo factus es in fine temporum, memento omnis præmeditationis & intimi mæroris, quem in corpore humano ſuſtinuiſti, inſtante ſaluberrimæ Paſſionis tuæ tempore prædinato, memento triſtitiæ & amaritudinis, quam in anima (te ipſo atteſtante) habuiſti, quando in ultima cæna diſcipulis tuis corpus & ſanguinem tuum tradidiſti, pedes eorum laviſti, & dulciter eos oſculando, imminentem Paſſionem prædixiſti: memento omnis timoris anguſtiæ & doloris, quem in tuo corpore delicato, ante Paſſionem crucis tuæ pertuliſti, quando

quando post trinam orationem, & sanguineum sudorem, à Iuda discipulo tuo tradebaris, ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus iudicibus, injustè judicabaris, in electa Civitate, in Paschali tempore, in florida corporis iuventute, innocenter damnabaris, veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in capite feriebaris, innumerabilibus aliis calumniis lacerabaris; Da Domine Deus mihi, quæso ob memoriam harum ante crucem tuam passionum, veram ante mortem meam contritionem, veram confessionem, dignam satisfactionem, ac omnium peccatorum meorum remissionem. Amen. *Pater noster. Ave Maria &c.*

ORATIO II.

O IESU vera libertas Angelorum, Paradisus deliciarum, memento mæroris & horroris, quos sustinebas cum omnes inimici tui, quasi Leones ferocissimi te circumsteterunt, & colaphizationibus, ungulationibus, cæterisq; pœnis inauditis te molestaverunt. Per has pœnas, & per omnia contumeliosa verba, durissimaq; tormenta, quibus te, Domine IESU Christe, omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis, visibilibus & invisibilibus, & dones mihi sub umbra alarum tuarum ad perfectionem salutis æternæ pervenire, Amen. *Pater noster. Ave Maria &c.*

ORATIO III.

O JESU mundi fabricator, quem nulla dimensio vero intermino metitur, qui terram palmo concludis, recordare amarissimi doloris, quem sustinebas cum Iudæi Sanctissimas manus tuas ad crucem obtusis clavis primo affixerunt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos, (cùm factis in cruce foraminibus corporis tui statura minus esset conveniens) dolo-

rem ſuper dolorem vulneribus tuis addiderunt, & ſic crudeliter te diſtraxerunt, & extenderunt in longum crucis tuæ, ut diſſolverentur compages membrorum tuorum. Deprecor te per hujuſmodi ſacratiſſimi amariſſimiq; in cruce doloris memoriam des mihi timorem & amorem tui, Amen.

Pater noſter, Ave Maria &c.

ORATIO IV.

O JESU cœleſtis medice, recordare languoris, livoris & doloris, quos in alto crucis patibulo levatus paſſus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in ſtatu ſuo rectè permanſerat, ita ut nullus dolor dolori tuo ſimilis inveniretur, quia à planta pedis uſque ad verticem capitis in te non fuit ſanitas, & tamen omnium dolorum immemor Patrem pro inimicis piè orâſti, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Per hanc miſericordiam, & ob memoriam illius doloris concede ut hæc memoria paſſionis tuæ amariſſimæ ſit omnium peccatorum meorum plena remiſſio, Amen.

Pater noſter, Ave Maria &c.

ORATIO V.

O JESU ſpeculum claritatis æternæ, memento illius mæroris, quem habuiſti quando in ſpeculo Sereniſſimæ Majeſtatis tuæ conſpexiſti prædeſtinationem electorum per merita tuæ paſſionis ſalvandorum, & reprobationem malorum per ſua demerita damnandorum, & per abyſſum miſerationis tuæ, quâ nobis perditis peccatoribus, & deſperatis tunc condoluiſti, & quam latroni exhibuiſti, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Rogo te pie JESU, facias mecum miſericordiam tuam in hora mortis meæ, Amen.

Pater noſter, Ave Maria &c.

ORATIO VI.

O JESV Rex amabilis, & amice totus deſiderabilis, memento illius mæroris; quem habuiſti, quando nudus & miſe-

miſerabilis in Cruce pependiſti, & omnes amici & noti tui adverſus te ſteterunt, & nullum coſolantem inveniebas; ſed ſolam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine animæ ſuæ tibi fideliſſimè adſtantem videbas, quam diſcipulo tuo commendaſti, dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Rogo te, pie IESU, per gladium doloris qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis, corporalibus, & Spiritualibus, & des mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO VII.

O JESV fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in Cruce dixiſti, *Sitio* (ſcilicet ſalutem generis humani) accende, quæſumus cordium noſtrorum deſideria ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, æſtum mundanæ delectationis in nobis penitùs refrigera & extingue, Amen.

Pater noſter. Ave Maria &c.

ORATIO VIII.

O JESV dulcedo cordium, ingenſque ſuavitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis deguſtâſti; in hora mortis meæ concede mihi corpus & ſanguinem tuum dignè percipere ad remedium & conſolationem animæ meæ, Amen. *Pater noſter, Ave Maria &c.*

ORATIO IX.

O IESV regalis virtus, jubiluſque mentis, memento anguſtiæ & doloris, quem paſſus es, quando præ mortis amaritudine, & Iudæorum inſultatione, cum magna voce te à Deo Patre derelictum clamâſti, dicens: *DEVS meus, DEVS meus, ut quid me dereliquiſti?* per hanc anguſtiam peto te, ut in anguſtiis meis non derelinquas me, Domine Deus noſter, Amen.

Pater noſter, Ave Maria &c.

ORATIO X.

O IESV Alpha & Omega, virtus & vita, in omni tempore recordare, quòd à summo capitis usque ad plantam pedis te pro nobis in aquam passionis tuæ demersisti, propter latitudinem, & longitudinem vulnerum tuorum, doce me in peccatis demersum, per veram charitatem custodire latum mandatum tuum nimis, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO XI.

O IESV Abyssus profundissima misericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, ac viscerum tuorum, ut me submersum in peccatis emergas, abscondasque in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine, Amen.

Pater noster. Ave Maria &c.

ORATIO XII.

O IESV veritatis speculum, signum unitatis, charitatisque vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum, quibus à summo capitis usque ad imum pedis vulneratus fuisti, & Sanctissimo sanguine tuo rubricatus; quam magnitudinem doloris in Virginea carne tua pertulisti, pro nobis pie IESU! quid ultra debuisti facere & non fecisti? scribe quæso, pie IESU, omnia vulnera tua in corde meo pretiosissimo sanguine tuo, ut in illis legam dolorem tuum ac mortem, & in gratiarum actione usque in finem jugiter perseverem, Amen.

Pater noster, Ave Maria &c.

ORATIO XIII.

O IESV Leo fortissime, Rex immortalis & invictissime, memento doloris, quem passus es, cùm omnes vires cordis

& corporis tui, tibi penitùs defecerunt, & inclinato capite. *Consummatum est,* dixisti: per hanc angustiam & dolorem miserere mei in ultima consummatione exitus mei, cum anima mea anxia fuerit, & spiritus meus conturbatus. Amen.

Pater noster, Ave Maria &c.

ORATIO XIV.

O IESV Vnigenite altissimi Patris, splendor & figura substantiæ ejus, memento obnixæ commendationis, quâ Patri Spiritum commendâsti, dicens: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* & lacerato corpore, & rupto corde, cum valido clamore patefactis visceribus misericordiæ tuæ, pro nobis redimendis exspirâsti. Per hanc pretiosissimam mortem, precor te Rex Sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, & sanguini, ut mundo mortuus, tibi vivam, & in novissima hora exitus mei suscipe ad te revertentem spiritum meum exulem & peregrinum, Amen. *Pater noster Ave Maria &c.*

ORATIO XV.

O IESV vitis vera & fecunda, memento supereffluentis & abundantis effusionis sanguinis, quem tu de corpore tuo sicut de botro expressũ, copiosissimè effudisti, quando in cruce torcular solus calcâsti, & lancea militari perfosso latere nobis sanguinem & aquam propinâsti, ita ut minima gutta in te non remaneret; & demum quasi myrrhæ fasciculus in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua evanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit. Per hanc amarissimam passionem, & sanguinis effusionem, pie Iesu, precor te, suscipe animam meam in agone mortis meæ, A.

Pater noster, Ave Maria &c.

CONCLVSIO.

O Dulcis IESV? vulnera cor meum, ut pœnitentiæ & amoris lachrymæ sint mihi panes die ac nocte. Et converte

verte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuò fiat tibi habibitabile, & converſatio tibi ſit placita & accepta, ac finis vitæ meæ ita laudabilis, ut poſt poſt huius vitæ terminum, merear te laudare cum omnibus Sanctis in æternum, Amen.

A L I A

O Domine IESV Chriſte, Fili DEI vivi, ſuſcipe hanc Orationem in amore illo ſuperexcellenti, in quo omnia vulnera tui Sacratiſſimi Corporis ſuſtinuiſti, miſerere mei famuli tui; & omnibus peccatoribus, cunctiſque fidelibus, tam vivis, quàm defunctis, da miſericordiam, gratiam, & remiſſionem, & vitam æternam, Amen.

Oratio brevis ad Paßionem Chriſti cum Indulgentiis.

MAgnum Martyrium, ô profundiſſima vulnera, Paſſio acerbiſſima, ô dulcedo Deitatis! adjuva me ad conſequendam æternam felicitatem, Amen.

Oratio de Septem Verbis Chriſti Domini.

DOmine IESV Chriſte, qui ſeptem Verba die ultima vitæ tuæ in cruce pendens dixiſti, & voluiſti, ut ſemper illa Sanctiſſima verba in memoria haberemus, rogo te per virtutem illorum ſeptem verborum, ut mihi parcas quidquid peccavi, aut commiſi in ſeptem peccatis mortalibus, aut ex illis procedentibus, ſcilicet ſuperbiâ, avaritiâ, luxuriâ, invidiâ, gulâ, irâ, acediâ. Domine, ſicut tu dixiſti, Pater ignoſce crucifigentibus me, fac ut amore tui parcam ego cunctis mihi mala facientibus. Et ſicut tu dixiſti latroni, hodie mecum eris in Paradiſo, fac me ita vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi: Hodie mecum eris in cælo. Et ſicut tu dixiſti Matri tuæ, Mulier ecce Filius tuus: deinde dixiſti diſcipulo: Ecce Mater tua; fac ut Matri tuæ me ſociet amor tuus, & charitas vera. Et ſicut dixiſti, Eli Eli Lammaſabathani: hoc eſt. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? fac me dicere in

omni

omni tempore tribulationis & anguſtiæ meæ, Pater mi Domine, miſerere mihi peccatori, & adjuva me, & dirige me, Rex meus & Deus: quia tuo proprio ſanguine redemiſti me. Et ſicut tu dixiſti: *Sitio*: Scilicet ſalutem animarum ſanctarum, quæ in Limbo erant aduentum tuum expectantes; fac ut ego ſemper ſitiam, & diligam te fontem aquæ viventis, fontem æterni luminis; toto cordis deſiderio ad amandum te. Et ſicut tu dixiſti: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*: recipe me venientem ad te, quia nunc conſtitui mihi terminum temporalis vitæ meæ. Et ſicut tu dixiſti: *Conſummatum eſt*: quod ſignificat labores & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſciperé veneras, iam finiri; fac ut audire merear illam dulciſſimam vocem tuam, ſcilicet: Veni amica mea, dilecta mea, quia jam diſpoſui penurias tuas conſummari. Veni ut mecum conſcendas cum Sanctis Angelis meis in regno meo epulari, jucundari & commorari per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO
S. Auguſtini de Paßione & membris Chriſti Domini.

DEUS, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut Agnus innocens ad victimam duci, atqué conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, flagellis & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari: Tu Domine per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per Sanctam Crucem tuam, & mortem tuam, libera me à gremio inferni, & perducere digneris, quò perduxiſti latronem tecum crucifixum, Amen.

ORATIO

Pro liberatione Animæ ex Purgatorio.

DEUS, qui nobis in Sancta Sindone, quâ Corpus tuum Sacratissimum à Ioseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO

De Passione Christi in omni tribulatione dicenda.

PAssio Domini nostri IESV Christi sit semper Mater tua; Mater mea, parturias me; nutrix mea, nutri me; lux mea, illustra me; Mensa mea, ciba me; Schola mea, instrue me; dilecta mea, dilige me; perfecta mea, perfice me; unica mea, posside me; Hospes mea, hospitare me; Doctrix mea, doce me; Dux mea, custodi me; urbs mea, recipe me; Medicina mea, sana me; cogitatio mea, distrahe me; fortitudo mea, defende me; socia mea, associa me; spes mea, erige me; Columna mea, sustenta me; Pax mea, recrea me; scientia mea, erudi me; patientia mea, conforta me; dulcedo mea, dulcora me; sanctificatio mea, sanctifica me; Amica mea, ama me; Fiducia mea, assecura me; Salus mea, salva me; Domus mea, circumda me; consolatio mea, solare me; Refectio mea, refocila me; cor meum, vigila pro me; anima mea, vivifica me; Refugium meum, recipe me; Gloria mea, gloria me; Portio mea, inebria me; Requies mea, quieta me; auxilium meum, ne desere me; Beatitudo mea, beatifica me; finis meus, omnia mea, immuta me in te, transforma te in me. Amen.

ORA-

ORATIONES
Ad Crucifixum IESVM pro felici morte impetranda, dicendæ.

DOmine IESV, per illam amaritudinem tuam, quam ſuſtinuiſti propter me in Cruce, maximè, quando anima tua egrediebatur de corpore tuo, miſerere ſecundùm magnam miſericordiam tuam animæ meæ in egreſſu ſuo de hoc corporis mei habitaculo. Acerbitas ignominioſiſſimæ mortis tuæ meam mihi ſuavem reddat, & amabilem. Amen. Amen.

PACTUM cum DEO.

OMnipotens æterne Deus, Domine & Creator meus, ego viliſſima creatura tua, amore & deſiderio te continuò amandi, & abſque ulla ceſſatione laudandi impulſus, cùm mentem meam humanæ vitæ conditio tuis laudibus indeſinenter affixam eſſe non ſinat, hoc tecum pactum inire cupio. Quoties ſpiritum duxero, aut ſanguis in vena motus fuerit, nunc pro tunc declaro, toties me facere & renovare velle omni meliori, quo fieri poteſt, modo, ſequentes actus, licet fortè tunc hos mente minùs adverterem.

Toties, inquam, adoro te ſummâ quâ fieri poteſt demiſſione, gratulor tibi ex animo infinitas perfectiones tuas, gaudeo etiam propter opera bona, quæ unquam honori tuo ab ulla creatura facta ſunt, hodie fiunt, fientque deinceps, quæ vellem omnia ego ipſe præſtitiſſe.

Toties intentiſſimo omnium Sanctorum & Angelorum affectu te toto corde amo, ſuper omnia propter bonitatem tuam, & ex hoc amore ſummè doleo de peccatis meis omnibus totius vitæ. Spero ex infinita tua miſericordia eorum veniam. Propono cum gratia tua mori potiùs, quàm te poſthac offen-

dere; doleo pariter ob tot peccata ab initio mundi hucusq; à quocunq; hominum commissa: toties in manus tuas commendo me & mea omnia, præsertim finem vitæ meæ, ut disponas de me, prout visum fuerit Divinæ voluntati tuæ, cui me totum in omnibus plenè conformo.

Toties in unione omnium meritorum Christi, Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum offero Divinæ Majestati tuæ omnia mea verba, cogitationes & opera, ut ea cedant unicè ad Sanctissimi tui Nominis gloriam & exaltationem. Toties offero tibi Passionem Domini Nostri IESV Christi, merita Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum; nec non omnia Missæ Sacrificia, quæ hactenus peracta sunt, vel usque ad consummationem sæculi peragentur, omnia omnium bona opera in gratiarum actionem, pro beneficiis omnibus corporis & animæ à te mihi præstitis.

Hæc omnia toties rata grata & iterata volo, quoties possibile vel imaginabile est id ipsum iterari aut multiplicari, atq; hoc purè ob amorem tui, omnesq; bonos & sanctos fines, qui ab ullo haberi possent. Tu mi Deus, gratum habe hoc meæ servitutis obsequium, & sinceri amoris testimonium. Amen.

C U L T U S
BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.
Oblatio sui ipsius ad B. VIRGINEM.

PRetiosissima Dei Mater, universorum Domina, & Princeps totius humani generis, cui serviunt Angeli & Archangeli, Cherubim quoque & Seraphim, & universi Beatorum Spirituum ordines cum tota curia cælesti. Ego N. hominum creaturarumque vilissimus, motu proprio post Deum Dominum nostrum, Dominatrici gentium & Principi Regum, me totum dedo

dedo in servum perpetuum, Te in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmiterque statuo; ac propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, aut permissurum, ut à meis subditis contra tuum honorem aliquid unquam agatur.

Exspolio me omni meo, si quod habeo, jure, libertate, arbitrio, illudque totum in manibus tuis æternalitèr depono. Suscipe me in servum perpetuum, ô Domina! utere, & tanquam mancipium tuum tracta ac exerce. Sis tu mea æternùm Domina, ego servus tuus.

Me ego in tuam benedictam fidem, singularem custodiam, & in sinum Maternæ misericordiæ tuæ, semel pro semper transcribo, animam, corpus, & omnia mea tibi commendo, omnem spem & consolationem meam, angustias & miserias meas, prospera & adversa, totam vitam meam, & finem vitæ meæ; ut per tuam Sanctissimam intercessionem, misericordiam, & per tua merita omnia mea dirigantur & disponantur cogitata, dicta, facta, secundum tuam, tuiq; filij voluntatem. O Regina! ô Domina! ô Patrona! ô Mater mea! ô Mater Dei memento mei, adsis mihi in omnibus necessitatibus meis, semper & ubique, nec deseras me in hora mortis meæ. Amen.

O R A T I O
S. Bernardi ad B. Virginem MARIAM.

SAlve Mater misericordiæ, Domina mundi, Regina cæli, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, lumen cæcorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperantium reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis, salve. Tuæ quæso, ô MARIA! sit pietatis obtinere reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, adjutorium periclitantibus. Per te accessum habeamus ad Filium tuum,

ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis: excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua Deo tam grata nostræ veniam impetret vanitati ac superbiæ. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra! Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta, fac ô benedicta per gratiam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoqué intercedente participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ IESVS Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

Alia Ioannis Lanspergij.

QUot maris sunt guttæ, quot cæli stellæ, quot Beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia & terræ gramina, toties ex intimo cordis mei te saluto, ô nobilissima! electissima, pulcherrima, gloriosissima, atque dignissima Mater DEI, Cæli Regina præclarissima, amabilissima, atque dulcissima Domina Virgo MARIA, saluto autem te in unione amoris dilecti Filij tui, atque omnium te amantium, mequé tibi commendo, atque in proprium filium tibi assigno. Oro etiam ut tu me suscipias, & apud Deum facias ut sim tuus, tu sis mea, post Deum Domina, gaudium meum, corona, ac Mater mea dulcissima, Patrona mea, advocata mea, omnia mea.

Obsecro autem te, ô Domina! Mater DEI admirabilis, Mater gloriosissima, Mater Orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum, fons misericordiæ, fons salutis & gratiæ, fons consolationis & indulgentiæ, fons vitæ & veniæ, fons pietatis, sanctitatis & lætitiæ, ut venias

& feſtines in auxilium & conſilium meum, in omnibus oratio- nibus & petitionibus meis, in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ. Impetres quoque mihi famulo tuo à dilecto Filio tuo, Domino noſtro IESV Chriſto, virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia & conſolatione, omni conſilio & adjutorio, omni benedictione & ſatisfactione, omni ſalvatione, pace, & proſperitate, omni gaudio & alacritate, etiam abundantiam omnium bonorum ſpiritualium, & ſufficientiam corporalium, gratiamqué Sancti Spiritûs, qui me bene per omnia diſponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita mala indulgeat, præſentia emendet, futura moderetur, vitam honeſtam & caſtam largiatur, fidem, ſpem, charitatem, mihi præſtet; articulos fidei firmitêr credere, & præcepta legis obſervare me faciat, ſenſus corporis mei regat & protegat, nec non à peccatis mortalibus ſemper liberet, ac defendat, uſq; in finem meum. Hanc orationem ſupplicitèr exaudiat & ſuſcipiat, mihiq; vitam æternam tribuat: audi & intercede pro me, dulciſſimâ Virgo MARIA, Mater DEI & miſericordiæ. Amen.

O R A T I O

Mendicantis à Beata Virgine MARIA.

SAlve, te humillimè laudo & glorifico, ô Sancta MARIA! Domina mea clementiſſima, puriſſima, Sanctiſſima, feliciſſima, Regina Angelorum potentiſſima, Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum glorioſiſſima, Martyrum fortiſſima, Confeſſorum ſapientiſſima & feliciſſima, Virginum, Viduarum, & omnium Sanctarum mundiſſima, DEI Mater veriſſima, Tu

noſti

nosti miserias meas, infirmitatem, & vulnera, paupertatem, & nuditatem.

Ecce gemitus meus, & languor desiderij mei coram te est, sicut ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ, ita ubicunque fuerit misericordia tua, currit & gemitus meus. Adeò pietate replentur ubera tua, ut tacta alicuius miseriæ notitiâ, fundant lac misericordiæ, nec potes miserias scire & non subvenire.

Ecce pedibus tuis advolutus, ô Asylum miserorum! ô Mediatrix inter Deum & homines! humiliter te rogo, & obtestor maternum pectus tuum, per eum amorem, quô IESVM Filium tuum diligis, per eam charitatem, quâ nos in servos, clientes, & indignissimos filios tuos adscivisti, impetra mihi plenam remissionem peccatorum meorum, verissimam eorum detestationem, & contritionem perfectam, dignos in hac vita pœnitentiæ fructus, generosam item mortificationem sensuum & passionum mearum, & plenissimam tentationum victoriam. Exora mihi augmentum fidei, certam spem, perfectam charitatem, integram in voluntatem DEI resignationem, puritatem intentionis, affectum devotionis erga IESVM Crucifixum, Venerabile Sacramentū, & erga te Dominam acMatrē meam. Impetra mihi obedientiam erga Superiores, affabilitatem & mansuetudinem erga omnes, profundam humilitatem, magnanimitatem & in adversis patientiam, pietatem, temperantiam, timorem & amorem DEI &c. ac denique perseverantiæ donum, sanctam, & felicem mortem. Eia Advocata nostra, exhibe mihi in hora mortis meæ jucundissimam præsentiam tuam; & adversus ardores justitiæ Divinæ, umbrâ tuâ me contege; ita eris mihi semper Domina & Regina clementissima, ac Mater amantissima, tuumque honorem & cultum, quibus potero obsequijs & officijs, tuo confirmatus favore, promovere conabor. Memorare

rare pijſſima, & glorioſiſſima Virgo MARIA, Mater miſericordiarum, & totius conſolationis. A ſæculo non eſt auditum, ad tua præſidia currentem, tua implorantem auxilia, aut tua petentem ſuffragia, à te Virgo MARIA derelictum; idcircò, tali animatus fiduciâ, ad te, Virgo Virginum, Regina Cælorum & Domina Angelorum, ô MARIA Mater Domini Noſtri IESV Chriſti, confugio, ad te, Stella Maris, curro, coram te miſer gemens & tremens aſſiſto, noli, ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater, verba mea deſpicere, ſed audi propitia & exaudi me miſerum, ad te in hac lachrymarum valle clamantem, nunc & ſemper, maximè in hora mortis meæ. O clemens, ô Pia, ô dulcis Virgo MARIA.

MEDICAMEN SPIRITUALE

Contra Peſtem, aliasq; neceſſitates.

PSALMUS I.

MAgna es Domina & laudabilis nimis, in civitate Dei noſtri & univerſa Eccleſia Electorum ejus.

Miſericordia tua & gratia tua ubiq; prædicatur, Deus operibus manuum tuarum benedixit.

Miſerere noſtri Domina, & ſana infirmitatem noſtram, tolle dolorem & anguſtiam cordis noſtri.

Mitte Angelum bonum in occurſum noſtrum per quem ab hoſtibus defendamur, miſerere in die anguſtiæ noſtræ, & in veritate tua irradia nos.

Miſerere noſtri, Domina, miſerere noſtri, quoniam tu es ſpes noſtra, & lux omnium ſperantium in te.

Memento noſtri, perditorum Salvatrix, exaudi planctus & ſuſpiria noſtra.

Miſerere noſtri Domina, & ora pro nobis; in lætitiam bonam, verte mæſtitiam noſtram.

Miſerere ſervorum tuorum, Domina, & ne ſinas eos anguſtiari in neceſſitatibus ſuis.

Miſerere noſtri, Regina gloriæ & honoris, & de omni periculo cuſtodi vitam noſtram.

Miſerere noſtri, Mater Salvatoris, præſta conſolationem in tribulatione noſtra.

Miſerere contritis corde, Domina ſalutis, & refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

PSALMUS II.

AD Te Domina clamabo, & exaudies me; in voce laudis tuæ lætificabis me.

Ad te clamavi cùm anxiaretur cor meum; & exaudiſti me de monte ſancto tuo.

Amplectamur MARIÆ veſtigia peccatores, & beatis pedibus ejus ſubvolvamur.

Accedite ad eam cum reverentia & devotione, & delectetur cor veſtrum in ſalute ſua.

Accedite ad eam in tribulationibus veſtris, & ſtabiliet nos ſerenitas vultus ejus.

A rugientibus præparatis ad eſcam, de manibus quærentium nos, liberati ſumus gratiâ illius.

Attendite populi præcepta Dei, & Reginæ cæli nolite oblviviſci.

Aperite cor ad inveſtigandam eam, labia ad glorificandam illam.

Accendatur affectus cordis in illam, & inimicos noſtros induet confuſione.

Abſtulit à corde mæſtitiam, & mærores; & ſuavitate ſua cor noſtrum dulcorabit.

Ado-

Adorate illam in decore illius; glorificate Opificem pulchritudinis ejus.
Adjutorio suo sancto evasimus pericula mortis, & de sæva peste liberati sumus.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS III.

REfugium tu es Domina in tribulatione nostra, & virtus potentior conterens inimicum.
Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est adjutrix, & vestra spiritualis advocata.
Recurramus ad eam in tribulatione nostra & eripet nos de periculis nostris.
Recordare Domina, ut loquaris pro nobis bonum, & indignationem Filij tui avertas à nobis.
Respice miseriam nostram, gloriosa Virgo, angustiam & tribulationem ne tardes removere.
Recordare Domina pauperum, & miserorum, & sustenta eos ope refugij tui Sancti.
Recordare nostri Domina, ut non apprehendant nos mala, succurre nobis in fine & inveniemus vitam æternam.
Resperge cor nostrum dulcedine tuâ, fac nos oblivisci angustias hujus vitæ.
Respice Domina humilitatem servorum tuorum, & ne sinas eos periculis subjacere.
Reple nos servos tuos virtutibus sanctis, & ira Dei non appropinquet nobis.
Respice Domina humilitatem cordis nostri, & libera nos de afflictione pessima.
Reminiscere miserationum tuarum Domina, revela peregrinationem incolatus nostri.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS IV.

IN te Domina confido propter multitudinem misericordiæ nominis tui.

Judica me Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum: sed quia in te speravi non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus & animam meam, totam vitam meam, & ultimum finem meum.

Influe nobis radios tuæ pietatis, & clarifica nos fulgoribus misericordiæ tuæ.

Innova signa & immuta mirabilia, ut sentiamus adjutorium brachij tui.

Intercede pro nobis, salutifera Mater Dei; quia Angelorum & hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis; & unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo, & voces gementium ne despexeris.

In manu tua Domina salus & vita consistunt, lætitia sempiterna & æternitas gloriosa.

Inveniant quæso gratiam apud Deum, qui te in suis necessitatibus invocabunt.

In periculis, & rebus dubijs, & necessitatibus cunctis, invenientes adjutorium.

Ipsa enim mederis contritis corde, & refoves eos unguento pietatis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS V.

AD MARIAM cùm tribularer clamavi; clementiâ suâ exaudivit me.

Ad te levavi Domina animam meam, in judicio Dei mei & precibus tuis non erubescam.

Ave gratiâ plena, Dominus tecum, per quem salus mundi restauratur.

Ascendisti alternantibus hymnodiis Angelorum, Choris Angelorum, constipata rosis, lilijs coronata.

Ablue, Domina, omnia peccata nostra, sana omnes infirmitates nostras.

Aufer à nobis tribulationem nostram, & dulcifica omnem dolorem nostrum.

Avertatur à nobis ira Dei per te, placa eum meritis & precibus tuis.

Aperiantur per te nobis portæ justitiæ, ut enarremus omnia mirabilia tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis, ut per te liberemur de angustijs nostris.

Adjutorium nostrum sit in virtute nominis tui, per te omnia opera nostra dirigantur.

Ab omni tribulatione libera servos tuos, & fac eos vivere sub pace & protectione tua.

Adorent te familiæ gentium, glorificent te omnes Ordines Angelorum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEfende, quæsumus Domine, Beata MARIA semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab omni infirmitate & peste, & ab omnibus clementer tuere periculis. Per Christum Dominum nostrum.

Similis efficaciæ est hæc Oratio, ad impetrandum à Deipara, quod petis.

SAncta MARIA perpetua Virgo Virginum, Mater misericordiæ, Mater gratiæ, Spes omnium desolatorum, Consolatrix omnium desperantium, per illum gladium doloris, qui tuam pertransivit animam, dum Virgineus Filius tuus Dominus noster JESUS Christus, supplicium mortis pateretur in Cruce, & per illum filialem affectum, quo ipse materno dolori compassus, integerrimæ dilectionis suæ, Vicario Sancto Joanni te providendam commendavit, compatere, condole, consule, quæso anxietati, adversitati, infirmitati, paupertati, solicitudini, & qualicunque necessitati meæ, ô miseratrix miserorum, dulcis consolatio afflictorum, ac Mater misericordiarum, desolatorum piissima Consolatrix. Exaudi ergo preces meas, & orbitatis meæ ac miseriæ lachrymas; & quia in diversis malis & angustiis propter peccata mea positus sum, ignoro ad quem fugiam? nisi ad te Dominam meam dulcissimam Virginem MARIAM, Genitricem Domini nostri JESU Christi, conformem ac consimilem, & reformatricem humanitatis nostræ. Ergo aures tuæ pietatis, sivè consuetæ misericordiæ tuæ precibus meis benignè accommoda. Per viscera misericordissimi Filij tui, per dulcedinem, quam tunc habuit, quando humanum genus amplexatus est, ut deliberaret una cum Patre, & Spiritu Sancto, carnem pro nostra salute assumere fragilem, & Angelo annuntiante, & Spiritu Sancto obumbrante,

te, de te, pijssima Virgo MARIA, Incarnatus est, tuo Sanctissimo utero clausus, Deus & homo gestatus, ac natus est. Per angustiam, quam idem Filius tuus Dominus noster JESUS Christus habuit, quando in monte Oliveti Patrem invocavit, ut, si fieri posset, transiret ab eo calix Passionis suæ. Per trinam Orationem ejus, per tristem quoque incessum tuum, quo secuta es eum cum lachrymis ad crudele spectaculum, Passionis & mortis ejus; per probra, sputa, colaphos, irrisiones, falsas accusationes, & judicia injusta, per vestem sorte, & ludo acquisitam, per vincula, & flagella ejus; per trinas lachrymas ejus; per patientiam & taciturnitatem ejus; per pavorem ac tædium, & mæstitiam cordis ejus, per verecundiam, quam habuit, quando denudatus est in cruce, & coram te pijssima Virgo MARIA omniq; populo pependit; per regale caput ejus arundine conquassatum, per spineam coronam ejus, per sitim, & gustum aceti cum felle mixti, per lanceam infixam Sacratissimo Lateri ejus, per sanguinem & aquam, quæ de Sacratissimo Latere ejus profluxerunt; & misericordiam & gratiam super nos abundanter effuderunt: per clavos infixos manibus pedibusq; ejus, per commendationem ejus, quâ Patri suam pretiosam animam commendavit; per dulcissimum Spiritum ejus, quem cum clamore valido, clamando: *Eli Eli Lamasabathani*; & inclinato capite emisit, dicens: *Consummatum est:* per scissuram veli in templo, & petræ, per obscurationem Solis & Lunæ, per tremorem terræ, per misericordiam ejus factam in latrone; per Crucem & Passionem ejus, per descensionem ejus ad inferos, per omnes animas, quas adventu visitationis suæ lætificavit; per gaudium & victoriam & gloriam Resurrectionis ejus; per apparitionem ejus, quâ per quadraginta dies post Resurrectionem, tibi prælecta Virgo MARIA, & Apostolis, cæterisque electis apparuit; per gloriosam Ascensionem ejus, quâ te

Vir-

Virgine gloriosâ & ipsis cernentibus, est in cælum elevatus; per gratiam Spiritus Sancti Paracleti, quam Discipulorum cordibus in linguis igneis infudit, & per eos in toto orbe terrarum, longè lateq; diffudit; per tremendum diem judicij, quo tempore venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem; per omnem compassionem ejus tecum in hoc mundo participantis, per suavitatem osculorum ejus, per ineffabile gaudium, quô assumpta es in conspectum ejusdem filij, ubi gaudes & exultas sine fine: lætifica cor meum, & exaudi me in hac petitione mea, pro qua te suppliciter exoro, & devotè; (*hic pete quod vis*) & sicut certus sum, quòd ille nihil tibi negans te honorat; ita sentiam faciliùs, pleniùs, celeriùs & efficaciùs, tuum Sanctissimum adjuvamen & solamen, & medicinam secundùm suavitatem misericordissimi cordis tui, & secundùm dulcissimam Filij tui voluntatem, ac timentium se, & delectantium in se, & petitionem cordis eorum, & propter necessitatem meam in his, & in omnibus rebus, pro quibus Sanctissimum supplex invoco Nomen tuum, & adjuvamen tuum, ut obtineas mihi apud Deum dulcissimum Filium tuum, in fide Catholica spem firmam, charitatemq; perfectam, veram cordis contritionem, fontem lachrymarum, sinceram confessionem, dignam ac sanctissimam satisfactionem, diligentemq; custodiam à peccatis; contemptum mundi, dilectionem Dei & proximi, flagella dilectissimi Filij tui in corpore meo immundissimo, veram patientiam ad omnia ea, quæ pro amore Filij tui sunt sustinenda, etiam mortem turpissimam, si oportuerit, executionem votorum, perseverantiam in bonis operibus, mortificationem propriæ voluntatis, conversationem sibi placentem, felicem obitum, & in extrema hora vitæ meæ pænitentiam vehementem, boniq; sensus integritatem, cum loquela, & animabus Parentum meorum, fratrum, sororum, & omnium benefactorum meorũ vivorum & mortuorum vitam sempiternam. A.



ADMONITIO, DE LITANIIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Circa Litanias Lauretanas, vulgò notas, notandum est multis abhinc annis viros nonnullos Religiosos convenisse, ut eas pro se invicem recitarent, pro felici morte & gratiâ, ad hanc, necessaria, obtinenda: his se junxerunt in Italia, Hispania, India, Gallia, Germania, & Hungaria, multa millia hominum. Ad hoc autem ut quis particeps sit istarum precum.

1. Oportet ut has Litanias quotidie recitet, cum oratione ad Sanctum Iosephum, Sanctissimæ Genitricis &c.

2. Vt ipse dicat has preces pro omnibus, sicut omnes pro ipso.

3. Vt vecitet pro felici morte, & gratia ad hanc necessaria impetranda.

4. Qui verò has Litanias recitare volet pro se solo, fructu sperato non carebit.

Post Litanias, vel cùm licuerit, commodè subjunguntur tria AVE MARIA *cum totidem Oratiunculis, quas ipsa Deipara traditur docuisse Sanctam Mechtildem, promittens iisdem, qui has quotidie recitaverint, felicem mortem.*

I. AVE MARIA. &c.

ORATIO.

O Domina mea Sancta MARIA, sicut DEUS Pater per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, itâ mihi, quæso, adsis in hora mortis, expellendo â me omnem contrariam potestatem.

II. AVE MARIA &c.

ORATIO.

O Domina mea Sancta MARIA, ſicut te Filius DEI tantâ ſui cognitione, & claritate dignatus eſt, ut totum cælum illuminares, ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur.

III. AVE MARIA &c.

ORATIO.

O Domina mea Sancta MARIA, ſicut Spiritus Sanctus ſuum amorem tibi plenè infudit; ita tu in hora mortis dulcedinem amoris Divini mihi inſtilla, ex quo omnis amaritudo, mihi reddatur ſuaviſſima.

SAnctiſſima Dei Parens, MARIA Virgo, per acerbiſſimæ Paſſionis JESU Chriſti Filii tui merita, te ſupplex rogo, ut ſi fortè, hodie vel hac hora, vel hoc momēto me mori cōtigerit, mei memineris.

O Amantiſſima, Mater mea, in manus tuas commendo animam meam, & corpus meum, & finem vitæ meæ. O Domina dulciſſima, viſceribus miſericordiæ plena, Sancta MARIA, ſuccurre mihi miſero peccatori antequam mors ſubitanea, & improviſa ſuperveniat, ne ſubitò & imparatus de hoc mundo tranſeam, ora pro me, MARIA Virgo benedicta, ob unigeniti Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti mortem amariſſimam, ut peccati deteſtatione, diaboli & operum ejus abrenuntiatione, verâ contritione, pura & humili confeſſione, pœnitentiâ & ſatisfactione, dignâ Sanctiſſimorum Sacramentorum acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo tranſeam. Fac mecum miſericordiam tuam, ô Beata Virgo MARIA, Mater Dei, in illa tremenda horâ, quando ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua ſe non poterit movere advocandum te, ne-

te, neque oculi mei lucem capere poterunt, aureſq; meæ nulli voci pateſcent.

Memor eſto tunc precum, ô MARIA, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & ſubveni mihi in illa hora ultima neceſſitatis meæ, ut liberer à miniſtris diaboli, & collocer cum Chriſti fidelibus, Filii tui ſervis & amicis.

O Felix MARIA, Tu Mater DEI, tu Mater rei, tu Mater Judicis, tu Mater exulis; cùm ſis Mater utriuſq; filii, ne ſinas filium reum, damnari per filium Deum. Sed materna pietate procura, ut filius reus reconcilietur Filio, qui eſt Deus; & per Filium Judicem, Filium exulem recipe in Patriam.

ALIÆ VII. PIÆ ORATIUNCULÆ

Ad Beatam Virginem pro felici obitu in ſingulos hebdomadæ dies diſtributæ.

DIE DOMINICO.

AVe, gaude, vale, ſalve, Domina Sanctiſſima, Virgo MARIA, Mater miſericordiæ, & conſolatrix omnium ad te devotè confugientium; cæli Regina, in cæleſte palatium cum ingenti jubilo Sanctorum introducta: per te Sanctiſſima Virgo MARIA, tranſitus de hoc mundo in extremis meis, Catholica fide, purâ confeſſione, Corporis & Sanguinis JESU Chriſti devotâ perceptione, muniatur.

FERIA II.

PRopter honorem Materni nominis & amorem Virginei partus tui, animam meam de hoc mundo migrantem clementer aſſume. Defende eam ab immundis ſpiritibus, eorumq; accuſationibus, terroribus, læſionibus, & illuſionibus.

FERIA III.

VEni, Domina mea, cum cælesti militia, in exitu miserere animæ meæ; para ei iter tutum, cùm ante districtum Judicem Filium tuum ducta fuerit: & quia te piam Matrem misericordiæ tunc invocare non possum, ideo nunc animam, in illa fide, recommendo tibi, in qua Deus Pater unigenitum Filium suum commendavit, quando eum de te carnem sumere voluit; in qua ipse Filius Dominus JESUS Christus in cruce pendens, te Sancto Joanni in Matrem, & illum tibi in Filium commendavit; in qua Sanctissima Trinitas in transitu tuo animam tuam Sanctissimam suscepit, teq; ad thronum gloriæ collocavit; ita & tu clementissima Virgo MARIA animam meam non deseras, quousq; tuis meritis & precibus gratiam, & misericordiam â dilecto Filio tuo, Domino nostro JESU Christo, obtineat, & quod minus habent mea merita, suppleat gratia tua & misericordia; quia tu es unica spes, & misericordia mea, cum Domino JESV nostro.

FERIA IV.

SUrge ergo pia, surge propitia, intra Sanctuarium exauditionis, expande immaculatas manus, tuas ante aureum altare humanæ reconciliationis: Erit per te impetrabile, ô Mater & spes mea post Deum MARIA; quod per te integrè erit excusabile; quod timeo: nec potest diu sustinere supplicantem; quem tu sæpissimè consolata es, dulcis Mater vagientem. Tibi ergo ô Genitrix vitæ! ô Mater salutis! ô templum pietatis & misericordiæ! tibi se commendat peccatrix anima mea, morbo vitiorum scissa, ulceribus flagitiorum putrida, ut tuis meritis, & precibus, digneris eam sanare, tuoq; Filio reconciliare.

FE-

F E R I A V.

O Clementissima! ô piissima! ô dulcissima Virgo MARIA! propter ineffabilem misericordiam, & Virgineum Partum, eripe animam meam in ultima hora egressionis ejus à corpore ab omni potestate, & invasione dæmonum, ne cum ipsis impiis æternis deputetur incendiis, sed pro judicio tuæ inexhaustæ pietatis & misericordiæ, restitute eam in Paradisum jucunditatis æternæ.

F E R I A VI.

ESto mihi, ô Virgo MARIA! in extremis meis auxiliatrix, adsis mihi, ô beatissima Virgo MARIA, in illa hora, quando præmortuam linguam meam movere non potero, ad te invocandum; & cùm oculos meos levare non potero ad te, Virgo MARIA: esto tunc memor precum mearum, quas nunc ad te fundo.

S A B B A T O.

SUbveni mihi, Domina, in hora resolutionis meæ, ne Princeps tenebrarum mihi occurrat, ne potestas inferorum adversus me prævaleat: nec patiaris, ô Virgo Dei Genitrix, animam meam gehennalibus pœnis subjacere; sed eam ab æternæ mortis caligine libera, ipso auxiliante & misericorditer concedente, quem tu concipere, parere, & lactare meruisti, JESV Christo, Filio tuo Domino nostro, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.





ACTUS RESIGNATIONIS ERGA DEUM.

Omnem solicitudinem nostram projicientes in eum.

1. MI piissime Domine, omni affectu cordis mei abnegato, per omnia tibi me totum resigno, & maximo, quo tu scis fieri posse, desiderio, & quantum per me fieri potest, desidero perfectissimè, voluntatem meam, in tuum Divinum beneplacitum transfundere; in quo solo cupio mihi complacere, quiescere, & in nulla re alia.

Quare te rogo velis de me, meisq; rebus omnibus disponere, quomodo & quantum tibi placet, & videtur conducere, ad majorem tuam gloriam.

Sic igitur totus in te resignatus offero me paratum, ad acceptandum, à potentissima tua manu, quidquid mihi acciderit in hac vita, sive aliquid prosperum, sive adversum fuerit.

2. Quare si vis me vivere, vitam gratanter accipio; si vis me mori, non recuso; si vis me sanum, accepto sanitatem; si infirmum, infirmitatem; si locupletem, divitias; si pauperem, volo paupertatem; si honorabilem, placet honor; si inhonoratum, non abhorreo ab ignominiis; vis ut habeam consolationem, & illam volo; si desolationem, non absterreor; si me vis esse in gratiâ apud homines, volo & ego; si vis me esse odio, pro inimicis orabo, & in persecutionibus te laudabo.

3. Et ideo nolo habere oculos, nisi ad te videndum; neque aures, nisi ad te audiendum; neq; linguam, nisi ad loquendum de te; neq; cor, nisi ad te amandum; neq; memoriam, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis; neq; intellectum, nisi ad agnitionem tuæ Majestatis; neq; manus, nisi ad tuum famulatum; neq; pedes

pedes, nisi ad tuum obsequium; neq; corpus, nisi tibi ad victimam, neq; vitam, nisi tibi in sacrificium.

4. In summa ita sine omni exceptione tuus esse volo, me ipso exspoliato, ex omni mea proprietate exuto Sanctissimæ tuæ voluntati, (quandoquidem meam jam tibi donavi, & irrevocabiliter dono) nunc & in perpetuum, omnes meas cogitationes, verba, & opera, tam interna, quàm externa, & omne meum esse & posse, quæ gratiâ tuâ dignatus es mihi largiri, permittam, resignem, transscribam.

Neq; volo quidquam velle aut non velle, nisi quomodo, quando, & quantum tu vis & non vis, ita ut tuum beneplacitum, sit meum summum & ultimum desiderium, jucunditas, consolatio omni tempore, & in re qualibet. Quare, piissime Domine, assiste mihi tua Sanctissimâ gratiâ, ut omnia cedant in honorem & gloriam tuam, perfectissimè adimpleatur sanctissima tua voluntas, Amen.

DE CONFESSIONE CATHOLICE INSTITUENDA.

1. *EXcitato ferventi desiderio rectè devotèq; confitendi, expiandi, & emendandi omnia tua peccata, per infinita merita Christi, per merita Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum. Quod commodè fieri potest utendo 1. 2. & 3. puncto examinis generalis.*

2. Revoca in memoriam peccata tua, ab ultima confessione commissa maximè magis voluntaria, periculosiora, & de quibus dubium est, an sint graviora; cùm sint in materia gravi ob imperfectum & dubium assensum.

Sunt autem omnia ea breviter, integrè, clarè, & ordinatè annotanda & declaranda.

Breviter, *omissis longioribus narrationibus circumstantiarum*

non

non necessariarum: cavendum verò est, ne alium tam in Confessione, quàm extra eam, alicujus culpæ nominatim, aut alio quovis signo allegemus.

Integrè; *Explicando omnium peccatorum, quæ conscientiam gravant, species, numerum certum, aut verisimilem, aut consuetudinem, ex tanto tempore, omnes quoq; circumstantias necessarias mutantes speciem, saltem in dubiis & periculosis.*

Clarè: *claris & usitatis verbis singula exprimendo, addendo ea verba, quæ declarent, an sint certa vel dubia, gravia aut levia peccata; an fuerint in materia gravi aut levi, an deliberatè nec ne contigerint; an cum delectatione, aut consensu pleno, aut semipleno nec ne? an solùm fuerit negligentia in resistendo aut præcavendo, &c.*

Ordinatè: *certum in recensendis peccatis ordinem servando, vel secundum præcepta Decalogi progrediendo, vel ea præmittendo, quæ contra Deum, deinde quæ contra te ipsum, demum quæ contra proximum, commissa; subiiciendo vel 1. cogitationes, 2. verba, 3. opera manifestando.*

Remedia Contra Peccata.

1. *SÆpè Dei, B.V. Angeli Custodis, aliorumq; SS. subsidium invoca.*
2. *Sæpè confitere & communica.*
3. *Fuge perversas cogitationes, otium, aliasq; peccandi occasiones.*
4. *Sæpè libros lege spirituales.*
5. *Sæpè meditare de Passione Christi.*

CONSIDERA.

6. *Dei & Angeli Custodis præsentiam.*
7. *Divinæ Iustitiæ exempla.*
8. *Mortem certam, horam incertam.*
9. *Tremendum diem judicij.*
10. *Pœnas damnatorum.*
11. *Præmia & gaudia Paradisi.*

ORA-



ORATIONES
ANTE CONFESSIONEM.

Actus Contritionis S. Theophili.

QUò ibo ego miſerabilis? niſi ad Chriſtum, bonum meum, quod inhonoravi. Hoc ſcio & confiteor, quòd tua bonitas tanta ſit, ut nolit perdere opera manuum ſuarum. Reſpiro & vivo ex conſideratione, quòd tu ſis totus bonus, & non cupias me deſtruere: nihilominus hoc ipſum cruciat cor meum, quòd injuriam intulerim bonitati tam miſericordi, quæ merebatur, ut tibi Deus meus, in omnibus deſervirem.

Actus Contritionis S. Pelagiæ Pœnitentis.

DEus meus & Salvator meus; ego ſum mare, & abyſſus iniquitatis: Tu benignus, Concede huic viliſſimæ creaturæ beneficium tuæ redemptionis. Tu recepiſti Magdalenam & condonâſti Samaritanæ; recipe ſimiliter miſerabilem hanc animam meam intra brachia tuæ miſericordiæ: agnoſcit miſericordia mea, quòd culpæ meæ numero ſuo ſuperant arenam maris, quid tamen ſunt? comparatæ miſericordiæ tuæ. Tu, Domine, in terram deſcendiſti, ut verſareris cum publicanis & peccatoribus; vides in me ſpeluncam draconibus refertam, ſed obſecro tu eam effice hortum deliciarum æternarum, in quibus exalteris & glorificeris. Hoc volo, hoc deſidero, ut nota fiat tua potentia & miſericordia, & ut manifeſtum fiat, te eſſe ſummè bonum, nec ullum à te derelinqui.

Actus Doloris S. Mariæ, Neptis S. Abrahæ Confeſſoris.

HEu me miſerabilem! heu me, quia profanavi templum Dei! heu deturpavi ejus imaginem, & rupi fœdus in baptiſmo initum, vota millies inita, facta, propter viliſſimam vo-

 lupta-

luptatem, averti oculos à Deo meo, & omnem ejus substantiam vendidi! Heu me, quia pessum dedi omne id, quod comparaveram per tot Sacramenta, bona opera! Quibus deinceps oculis cælum adspiciam, cùm isti, quos habeo, toti contaminati sint ex aspectu malitiæ? Quibus labiis, quâ linguâ supplicabo illi purissimæ Majestati? cùm sint maculata, & deturpata tam fædis culpis. Ad Deum cum quali corde accedam? quomodo loquar? cùm legem ejus conculcârim, cùm promissa ei facta violârim.

Heu me, quò me vertam! ô si me mors ante rapuisset, quàm talem malitiam committerem contra Divinam Majestatem. Quis lachrymarum fons poterit eluere tot & tantas maculas? à quantis bonis excidi? in quanta mala judicii? Quid tibi accidit, anima mea? Quomodo me tantopere elongavi à te, Deus meus? Quomodo te dereliqui? converte te ad me, ô Deus meus, peccavi, peccavi! Tu es amator meus, & amor meus. Tu enim es, qui me quæris. Parce mihi, amantissime Pater, propter id quod es. Elue meas maculas Sanguine JESU Christi. Sic, sic non invenietur in me fœditas, quæ tibi displiceat. Da, ut te respirem. Libera me à tam profunda miseriæ abysso, ut semper cantem gloriam tuam, Amen.

O R A T I O

Sancti Theophili Pænitentis ad Beatam Virginem.

SVscipe in te, ô Virgo, hoc onus protegendi. Quomodo defigam oculos in eum, quem tantopere offendi, nisi priùs Domina placaveris justissimam ejus indignationem. Es potentissima & valde misericors. Progredere obviam, & brachiis apertis excipe accurrentes ad tuam pietatem. Offendi te & Filium tuum, scio tamen quòd multi alii peccatores confitendo peccata sua, impetrârunt, te mediatrice, honorem & gratiam, quam perdiderant. Tu es eadem semper, ego sum, quod illi fuerunt,

O Con-

O Conſolatrix afflictorum, protectrix fugientium, baculus noſtræ infirmitatis; quæ ſemper exaudis opertos ſceleribus ad te confugientes. Intercede pro me apud Filium tuum, & omnia ad meum fluent votum: Filius tuus miſericors eſt, & nihil eorum amore tui negare poteſt, quæ te mediatrice petimus.

Non me deſpice, ô MARIA! Reſpice lachrymas meas, confirma propoſita mea, ô adjutrix mea, & refugium meum. Tu es mihi porta ad miſericordiam, per te ingrediar, tu es ſpes mea, tecum & per te ſperabo.

O R A T I O

Sancti Auguſtini, pro remiſſione peccatorum.

SAlvator mi, ad te venio ſicut pauper ad divitem, ſicut ſitibundus ad fontem indeficientem, & ſicut peccator ad eum, qui reparat à peccatis. Ante omnia, ô dulciſſime JESV, in conſpectu dulciſſimæ tuæ præſentiæ confiteor meam pertinaciam, & vitæ pravitatem. Conceptus ſum in peccato, & poſtquam Sanguine tuo ablutus ſum, maioribus peccatis animam meam fœdavi. Illud contraxi ut homo, hæc autem ut peccator ex mea malitia. Tanquàm cæcus & ingratus, accumulavi peccatis peccata, quo tempore corrigere debueram delicta vitæ ſuperioris.

Placare, ô meum bonum, non avertas faciem tuam ab hac anima peccatis deformata, ſicut non averriſti ab iis, qui te ſputis & colaphis malè tractârunt. Peccavi, ô juſte Judex, mereor mille infernos, non habeo unde ſolvam? mea ſatisfactio eſt tuus Sanguis & miſericordia, quæ abſumit & ſuperat peccata totius mundi.

Quamvis peccaverim, & merear deſeri, tu tamen non exuiſti tuam bonitatem, quâ ſolitus es ſalvare peccatores. Quomodo potero diffidere, ô bone IESV, de tua miſericordia, dum

recordor quòd cùm essem tuus inimicus pro me mortuus es, & me Deo reconciliâsti. Si veniam offerebas, cùm eam non quærerem; modò cùm eandem peto, quantò libentiùs imperties; Tuum dulcissimum Nomen, ô IESV, quod Salvatorem significat, fiduciam mihi præbet. Salva animam meam, & dic ei, quòd sis salus eius, & sufficiet mihi.

ORATIONES

Quarum singulæ sunt Actus Contritionis.

I. AD DEUM PATREM.

DEus meus, displicet mihi, quòd te offenderim, quia tu es Deus meus & omnia, quem amo & revereor super omnia. Nunquam ab hac horâ in æternum te offendam, statuoq; firmiter, quòd velim omnes peccandi occasiones fugere. In satisfactionem præteritorum peccatorum, offero tibi vitam meam, quidquid in me est & erit, tu suscipe in unione meritorum acerbissimæ mortis IESV Christi Filii Domini nostri. Qui tecum vivit & regnat &c.

II. CORAM CRUCIFIXO.

JEsu mi, tu pendes ab hac Cruce nudus, ut ego regiâ purpurâ tui pretiosi Sanguinis me in regem vestiam, venio ut filius prodigus, è regione longinqua. Peto, spero, stolam; stolam gratiæ, & annulum, per quem anima mea tibi desponsetur. O si nunquam perdidissem meum sponsum, & Patrem tam amantem & amabilem. Nunquam in æternum à te recedam, quia tu es Deus meus, & omnia.

III.

QUò ibo, nisi ad te, ô bone JEsu! suscipe me, per viscera misericordiæ tuæ, per tuum Sanguinem & lachrymas; propter amorem, quo te tenerrimè amo, nolo am-

pliùs

pliùs te offendere, aut contriſtare, nè in rebus quìdem leviſſimis. O Bonitas infinita! ô Amor optime, non audeo, velut alter publicanus oculos in cælum tollere, cum Magdalena lachrymis lavabo Sacros pedes, & millies deoſculabor. Deus meus es tu, Salvator meus, auxilium meum, ſalva me, quia hoc erit glorioſum, ut exaltetur Nomen tuum.

I. ADVERSUS SUPERBIAM.

DOmine JESU Chriſte, mitis & humilis corde, qui à te ipſo nos humilitatis documentum ſumere verbo, & exemplo juſſiſti; nàm cùm in forma Dei eſſes æqualis æterno Patri, formam ſervi accipiens, humiliâſti temetipſum, factus usq; obediens ad mortem, mortem autem Crucis.

Tolle à nobis omnem ſuperbiam mentisq; tumorem, ut nulla in re gloriantes, præterquam in te; neminemque deſpicientes, ſubmiſſè de nobis ſentiamus, teq; ſolum humili corde laudemus, & ſi quid boni habere videmur, non à nobis, ſed à te deſcendere, perenni omnium bonorum fonte agnoſcentes, non nobis, ſed Nomini tuo gloriam perpetuò demus, Amen.

II. ADVERSUS AVARITIAM.

LIberaliſſime Deus, qui bonorum noſtrorum non eges, & bona tua nobis tam abundè largiris; ſed & de bonis, ad uſum vitæ conceſſis nos liberales erga proximos inopes eſſe jubes, ideoq; eleemoſynas, & charitatis opera, nobis aſſiduè commendas. Inclina cor noſtrum in teſtimonia tua, & non in avaritiam; da nobis temporalia, pro nomine tuo, libenter tribuere, & libenter communicare.

Cupiditatem verò, quæ omnium malorum radix eſt, à cordibus noſtris evelle, ut aliena non appetentes, propria autem non ex triſtitia, aut neceſſitate, ſed plenâ manu pioq; animo largientes, ſicut hilares datores à te diligi, paratumq; à conſtitutione mundi regnum percipere valeamus, Amen.

III. ADVERSUS GULAM.

DOmine JESU, abſtinentiæ ſpeculum, qui ut ſalutarem abſtinentiam nobis verbo & exemplo commendares, carnis noſtræ mortalitate aſſumpta, quadraginta diebus, & totidem noctibus jejunâſti, & non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, hominem vivere docuiſti. Da faucibus noſtris mellifluum eloquiorum tuorum guſtum, quæ ſunt dulciora ſuper mel, & favum, ut ciborum lautitiem, & omnia gulæ irritamenta reſpuentes, ſobriè & piè vivamus in hoc ſæculo, & ſimplici victu, eoq; moderato contenti, dona tua cum gratiarum actione ſumamus, nec Deo ventri, ſed tibi Deo viventi, & nos tam beneficè paſcenti, ſerviamus. Amen.

IV. ADVERSUS LUXURIAM.

DOmine JESU Chriſte, caſtarum mentium cuſtos, & pudicitiæ amor, qui ut munditiam tibi maximè placere oſtenderes, ex puriſſimæ Virginis Matris utero carnem humanam aſſumere dignatus es. Reſpice fragilitatem noſtram, cor mundum in nobis crea, & ſpiritum rectum innova in viſceribus noſtris, & da nobis concupiſcentiam continentiæ freno cohibere, omnia libidinis incentiva vincere, & carnem ipſam timore tuo configere, ut hoc domeſtico hoſte devicto tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus. Amen.

V. ADVERSUS INVIDIAM.

JESU amantiſſime, charitatis exemplar, qui amore Dei & proximi univerſæ legis præcepta concludis. Da nobis te Deum, & Redemptorem ex toto corde, ex tota anima, menteq; tota diligere, quando tu tantopere nos prior dilexiſti, ut animam tuam pro nobis dederis. Deindè ut proximos noſtros ex intimis amemus viſceribus, effice, illumq; ſolum odio habeamus, cujus invidiâ mors introivit

in

in orbem terrarum, ut de proximorum proſperitate gaudêtes, eorumq; adverſitati condolentes, de nullius infelicitate lætemur, ſed omnibus invidiæ ſtimulis repulſis, ad te, qui vera charitas es, perveniamus. Amen.

VI. ADVERSUS IRAM.

MItiſſime JESU, qui ut Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & ſicut ovis ad occiſionem ductus, non aperuiſti os tuum, ſed tractus, illuſus, conſputus, percuſſus, & deniq; crucifixus; non modò malum pro malo non reddidiſti, ſed inſuper pro transgreſſoribus Deum Patrem orâſti; inſere quæſo cordibus noſtris manſuetudinis & patientiæ virtutem, ut iræ furorem comprimentes, manſueto corde malum in bono vincamus, & inimicos noſtros diligamus, qui beneficentiâ noſtrâ tanquam ardentibus prunis incenſi ad mutuum inflammentur amorem, atque ita unanimes uno ore ac fraterna charitate honorificemus te Patrem noſtrum in terris, & tandem aſſequamur in cælis. A.

VII. ADVERSUS ACEDIAM.

DOmine JESU, qui nullum fugiens laborem, noſtri cauſâ fatigatus ex itinere, ſæpiùs eſuriiſti, ſitiſti, variaq; pertuliſti incommoda; ſed & in oratione frequens pernoctâſti. Expelle à corde & corpore noſtro omnem deſidiam, & torporem, ut ad tibi ſerviendum, vigiliis, jejuniis, & orationibus promptiſſimi & alacres, nos totos ad tuam gloriam, & proximorum ſalutem exponamus, ut non dormitet anima noſtra præ tædio, ſed viam mandatorum tuorum alacriter curramus, ubi dilataveris cor noſtrum per amorem, tui & proximi, nè fortè tepiditas noſtra aliquando nauſeam tibi moveat, & incipias nos evomere ex ore tuo.

Accende igitur in nobis ignem tuæ charitatis, noſtramq; imbecillitatem perfice, ut in te, & à te corroborati, per bona opera vocationem noſtram certam facere ſatagamus,

&

& quodcunq; poteſt manus noſtra, inſtanter operetur; ut tibi ſoli placeamus, & tu ſis tandem merces noſtra magna nimis. Amen.

ORATIO PRÆPARATORIA
Ante Confeßionem Sacramentalem.

CONditor cæli & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui me de nihilo feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & me proprio tuo ſanguine redemiſti, quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare, te ſuppliciter deprecor & humiliter exoro, ut clementer reſpicias me ſervum tuum nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieris Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ; qui pepercisti publicano & latroni in cruce pendenti; tibi confiteor, Pater pijſſime, peccata mea, quæ ſi volo abſcondere, non poſſum tibi Domine; parce mihi Chriſte, quem ego nuper multùm offendi, cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo, & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa.

Ideò, Domine, precor tuam clementiam, qui de cælo pro mea ſalute deſcendiſti, qui David à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro te neganti peperciſti, tu es Creator meus, & Redemptor meus; Dominus meus, & Salvator meus; Rex meus, & Deus meus.

Tu es ſpes mea, & fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; conſolatio mea, & fortitudo mea; defenſio mea, & liberatio mea; vita mea, ſalus mea, & reſurrectio mea, lumen meũ, adjutorium meũ, & patrociniũ meum; te deprecor & rogo, adjuva me & ſalvus ero, guberna me, & defende me; conforta me, & conſolare me; confirma me, & lætifica me, illumina me, & vivifica me; ſuſcita me mortuum, quia factura & opus tuum ſum.

Domi-

Domine, ne deſpicias me, quia famulus & ſervus tuus ſum, quamvis malus, quamvis indignus & peccator: ſed qualiscunque ſim, ad quem ergo fugiam, niſi ad te vadam? ſi tu me eijcis, quis me recipiet? ſi tu me deſpicis, quis me aſpiciet?

Recognoſce me ergo indignum ad te refugientem, quamvis ſim vilis & immundus, quia ſi vilis & immundus ſum, potes me mundare; ſi cæcus ſum, potes me illuminare; ſi infirmus ſum, potes me ſanare; ſi mortuus & ſepultus ſum, potes me ſuſcitare; quia major eſt miſericordia tua, quàm impietas mea; plus potes dimittere, quàm ego committere; & plus parcere, quàm ego peccator peccare.

Non ergo deſpicias, Domine, neque attendas multitudinem iniquitatum mearum, ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori.

Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum, qui dixiſti: *nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.* Converte me Domine ad te, & noli iraſci contra me, deprecor te, Clementiſſime Pater, propter miſericordiam tuam ſupplico & exoro ut perducas me ad bonum finem & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem, omnium peccatorum meorum. Amen.

O R A T I O

Ante Confeßionem Sacramentalem.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſo, ſplendore gratiæ tuæ cor meum, ut ſufficienter cognoſcam defectus, & peccata mea, eaq; cum vero cordis dolore & contritione confitear, ſicut oportet coram te, & Sacerdote miniſtro tuo, ac planè pro ijsdem ſatisfaciam, eaq; emendem, ad

laudem & gloriam tuam, & benedictæ Matris tuæ, ac Sanctorum omnium, ac salutem animæ meæ. Amen.

Poteris subjungere Actum contritionis supra positum.

ORATIO
Immediatè ante Confessionem.

PAter misericordiarum, & Deus totius consolationis, ecce ego prostratus ante te acerbissimè doleo, quòd offenderim te Creatorem ac Redemptorem meum: confidens verò in misericordia tua, volo integrè omnes iniquitates meas confiteri, vitamq; seriò emendare. Adjuva, Domine Deus, pauperem hanc animam, pretiosissimo Sanguine Christi redemptam, & tu Virgo gloriosissima Mater Dei MARIA interveni pro me, vos Sacti Patroni mei N.N. omnesque cæli cives orate pro me peccatore, & quia ego non sum sufficiens ad impetrandam hanc gratiam, rogo te mi Sancte Angele Custos, ut offeras hanc bonam voluntatem meam, ut hanc confessionem perfectè faciam ad laudem & gloriam Dei, & salutem animæ meæ. Amen.

Deus propitius esto mihi peccatori, JESU Fili David miserere mei.

Post hæc provolutus in genua Confessarrio peccata sua pænitens explicabit clarè, humiliter, & non properanter: finita confessione dicet: De his, atque aliis mihi ignotis, totiusq; vitæ meæ peccatis accuso me, doleo, propono emendationem, peto salutarem pœnitentiam & absolutionem.

ORATIO
Post Confessionem.

SIt tibi, Domine obsecro, meritis Beatæ semper Virginis, Genitricis tuæ MARIÆ, & omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit, nunc & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate con-

te confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, & secundùm illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs absolutum in cælo. Qui vivis & regnas in Trinitate perfecta Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tres breves & nervosæ Orationes pro remissione peccatorum & emendatione vitæ. Ex precibus Germ: P. Canisij.

ORATIO I.

O Dulcissime Domine Jesu Christe, ego indignus peccator admoneo te omnium sanctarum cogitationum, quas unquam ab æterno hucusq; habuisti, & illius maximè, quâ tu, ô verbum æternum, homo fieri cogitâsti; admoneo te quoque omnium piarum cogitationum, quas unquam pro tui nominis honore sancti in cælis, pijque homines in terris habuerunt, aut deinceps habebunt.

O Clementissime Domine, precor ex intimo corde, ut tu vicissim ignoscas mihi omnes vanas, turpes, & malas cogitationes, quas hucusq; contra, aut præter tuam voluntatem habui, aut, ut alij haberent, quomodocunq; causa fui.

Pater noster. Ave Maria, &c.

ORATIO II.

O Pijssime Domine Jesu Christe, ego miser peccator admoneo te omnium bonorum & salutarium verborum, quæ unquam locutus es super terram, vel quæ ab alijs in nomine tuo unquam prolata sunt, aut deinceps proferenda.

Rogo te humiliter, ô bone Jesu! dimitte mihi omnia verba, quæ hucusq; contra divinam voluntatem tuam locutus sum, aut, ut alij loquerentur, auctor fui.

Pater noster. Aue Maria, &c.

ORATIO III.

O Suavissime D. Jesu Christe, ego peccator indignus, sed pretioso Sanguine tuo redemptus, admoneo te omnium bonorum operum, quæ salutis nostræ causâ operatus es in

medio terræ, vel quæ unquam ab alijs in nomine tuo facta sunt, aut posthac facienda.

Obsecro te, pijssime Domine, ignosce mihi quidquid unquam malè agendo, contra legem tuam, & nominis tui gloriam ignoranter vel scienter commisi, vel, ut ab alijs committeretur, causa fui.

Porrò, ô benignissime Domine, omnes cogitationes meas, omnia verba, omnia opera, dirige & ordina secundùm tuum divinum beneplacitum, ad laudem nominis tui, eaque juxta perfectissimum exemplar sanctissimæ conversationis, & vitæ tuæ, conforma. Tuus sum, & ero, ô Domine, vivens & moriens, in manus tuas me, & omnia mea commendo.

Pater noster. Ave Maria, &c.

O R A T I O
Pœnitentis ex eodem:

O JESU Christe, Salvator mundi, qui omnes peccatores clementer invitas, & quidquid ad te venerit, non eijcis foras, sed benignè suscipis, foves, ac reficis; admoneo te illius immensæ charitatis, quâ te pro nobis spontè in cruce obtulisti, & largissima pretiosi sanguinis tui effusione, tam abundanter exsolvisti pretium salutis nostræ, & expiâsti peccata mundi.

Per sacratissimam & efficacissimam pœnitentiam tuæ sanctissimæ vitæ, & mortis innoxiæ, rogo te supplex, ut ignoscas mihi omnia peccata mea, quemadmodum promptè latroni in cruce pendenti ignovisti, eiquè Paradisum promisisti.

Proijcio nunc omnia peccata mea in profunda & dolorosa vulnera tua, quidquid mihi deest de sufficientia contritionis & pœnitentiæ, hoc tu clementèr supplere digneris, ex divitijs satisfactionum & meritorum tuorum, & omnium dolorum, pœnarum, ac laborum, quos in tuo Sanctissimo Cor-

Corpore libens assumpsisti, & usque ad acerbissimam mortem pro nobis sustinere voluisti.

Et quemadmodum fons omnis clementiæ ex mera charitate & intimo cordis suspirio pro inimicis tuis orâsti, imò sanguinem quoque tuum pro tuis tortoribus fudisti, ita me indignum fac quoque participem tuæ sanctissimæ vitæ & passionis, nè pereat in me fructus ejus; sed omnibus liberatus peccatis, & dignis eorum supplicijs, me totum omnino ad te, & tui cultum, & amorem convertam.

Concede mihi, ô summè clemens Salvator, ut te peccatis meis nunquam ampliùs crucifigam; sed virtute & merito crucis tuæ de præteritis peccatis meis sincerè doleam, præsentes tentationes fortitèr superem, deinceps viam crucis & pœnitentiæ teneam, & in bonis operibus in finem usque perseverem: Tibi enim vivere, & in te mori cupio.

Commendo tibi corpus & animam, & omnia mea; amicos quoque & benefactores meos, vivos & defunctos; ô JESU Fili David, miserere nobis, & fac nos omnes seriò declinare peccata, & tua implere mandata ad majorem tuam gloriam, & nostram salutem. Amen.

O R A T I O

Elegantissima S. Bernardi pro remissione peccatorum.

IN unione acerbissimi doloris tui, quo causam doloris mei assumpsisti, & emēdationē pro peccatis meis suscepisti, Domine JESU Christe, cum universitate dolentiū, verè pœnitetium, & te in veritate quærētium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala cōmissa, & bona omissa; vel non purè, aut negligentèr facta, sicut tu ea meliùs nosti in numero, pondere, & mēsura: & dies perditos vitæ meæ, in quib⁹ te offendi, & laudē tuā minui, & à te sūmo bono cecidi, & proximū simul in casū traxi.

Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his verò quos vivendo perdidi,

 qui-

quibus perditè vixi, cor contritum & humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei declinaverunt, & perierunt sine fructu; impossibile est ut revocem eos, sed placeat tibi, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ. Domine, abyssus profundissimæ miseriæ meæ abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Nè contineas miserationes tuas in ira, & fontem inexhaustum misericordiæ tuæ circa me exsiccari nè permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum, propter pœnitentiam.

Tuum est, Domine, remittere peccata; miserere mei, dum tempus est gratiæ & miserationis: & dùm tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis: nè in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

Fac me, quæso Domine, assueta mala relinquere, & tibi placita opera peragere: & studium, quod hucusque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate ut exerceam: ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabundet. Et rogo te per temetipsum, & per amorem pijssimæ Matris tuæ gloriosæ Virginis MARIÆ, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, atq; electarum tuarum, ut ignoscas omnibus peccatis, negligentijs, & ignorantijs meis, & nè perdas me cum iniquitatibus meis, neque in finem reserves mala mea. Recordare, Domine JESU, quia tuum non est perdere quidquā eorū, quæ Pater tu⁹ dedit tibi, sed tuum est proprium misereri semper & parcere, neminem perdere, sed salvare. Nam Pater tuus misit te in mundum, non ut judices mundum, sed ut vitam habeamus per te; ut sis prò nobis, non contra nos; quod enim nos debuim⁹, tu solvisti; quod nos peccavimus, tu luisti; quod nos neglexímus, tu suplêsti.

Proficiat ergo, Domine, nunc & in extremis meis plenaria, imò superflua satisfactio tua, amarissima mors tua, & pretium inæstimabile fusi sanguinis tui, commemoratio satisfactionis tuæ, venerabile mysterium Corporis & Sāguinis tui, quod tibi

quo-

quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium tuorũ, in qua es tu ipse Sacerdos, & Sacrificium; ille qui offert pariter, & cui offertur; & hoc ipsum, quod offertur ad promerendam in præsenti gratiam, quam non mereor; ad obtinendam in futurum requiem & gloriam, quam tua amarissima mors impetravit. Imperfectum meum, Domine, viderunt oculi tui; sed tu pie, misericors, & præstabilis super malitia, nè quæso imputes mihi ad æternum supplicium, qui omnia ad summum & perfectum bonum optimè, & perfectissimè, & sapientissimè præordinâsti; & nè permittas me deleri de libro vitæ; sed offer mihi portionem, quæ me contingit in subsidium, tuæ videlicet pretiosæ Passionis, pro quâ hominem voluisti habere tibi cohæredem in terra viventium.

Te igitur, Domine, moveat, & inclinet ad misericordiam humanæ fragilitatis consideratio, quia nosti, quæ sit hominis substantia, & quòd non vanè constitueris hominem super terram; & conserva me opus tuæ pietatis, nè in cassum circa ipsum laboraveris, & ne infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio.

Tu, qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, ut emundatus à peccatorum sordibus, & illuminatus acie mentis cognoscam te, teq; agnoscens in directione cordis mei jugiter ad te tendam, & aspirem, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, JESU Christe, Deus meus, & Dominus meus; qui cum Deo Patre in unitate Spiritus S. vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO
Post Confessionem.

GRatias tibi ago, patientissime JESU, quòd me indignum peccatorem ad pœnitentiam patienter expectaveris, veniam & indulgentiam mihi clementer concesseris. Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, quam feci, &

ci, & quidquid mihi nunc defuit ad plenam & sinceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro ijsdem dolorem, tu ex fonte misericordiæ tuæ ac thesauro passionis tuæ benignè supplere digneris, meq; perfectè absolutum habere in cælis; & præsta auxilium gratiæ tuæ, ut deinceps peccata devitem, ac fideliùs tibi serviam, intercedente gloriosâ Virgine Genitrice tuâ MARIA, & omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: juravi enim & statui deinceps custodire judicia justitiæ tuæ, te adjuvante. Qui vivis & regnas, &c.

A L I A
ORATIO ante Confessionem Sacramentalem.

SUscipe confessionem meam, pijssime ac clementissime Domine JESU Christe, unica spes salutis meæ, & da mihi obsecro contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, ut defleam diebus, ac noctibus, omnes negligentias meas cum humilitate & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine: si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram, quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei, Domine, qui Chananæam & publicanum vocâsti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem suscepisti, Domine Deus meus, suscipe preces meas.

Salvator mundi JESU bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum, & si commisi, unde me damnare potes; tu non amisisti, unde salvare soles.

Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miserere peccatrici animæ meæ, solve vincula ejus, sana vulnera, Domine JESU, te desidero, te quæro, te volo, ostende mihi faciem tuam, & salvus ero.

Emitte igitur, pijssime Domine, meritis purissimæ & immacu-

maculatæ semper Virginis, Genitricis tuæ MARIÆ, & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam, in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet; atque juvet & doceat ipsos plenè & contrito corde explicare. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ACTUS CONTRITIONIS,

Ad remissionem peccatorum obtinendam efficax, in formam Orationis redactus. Porro circa eum servanda sequentia.

1. DOmine JESU Christe, verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus.

2. Pœnitet me ex toto corde, quòd offenderim te Dominum & Deum meum.

3. Quem amo super omnia.

4. Et propono firmiter ampliùs non peccare, omnesq; peccandi occasiones devitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta.

5. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, Passionem, ac mortem tuam, totumque pretium Sanguinis tui pro nobis effusi, merita quoque B. MARIÆ semper Virginis, & omnium Sãctorum, atq; omnia opera mea, & totam vitam meam.

6. Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quòd per merita pretiosi Sanguinis tui mihi remissurus sis omnia delicta mea.

7. Et gratiam uberem largiturus, quâ vitam sanctè instituere, tibique perfectè usque in finem servire valeam. Qui cum Patre, Sanctoq; Spiritu vivis & regnas, Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

FORMULA

Excitandi affectus pios gratitudinis, contritionis &c. tum ante & post Confeßionem. Ex P. Crist. Mayer in Indust.

O Jesu! Deus cordis mei infinitè misericors, & longanimis, infinitè suavis & amabilis, quomodo cum Patre & S. Spiritu multiplicas super me inter cæteros electos tuos inæstimabiles divitias misericordiæ, longanimitatis, bonitatis, & caritatis tuæ, hucusque toties me tam ingratum, cum Petro respiciendo; toties me indignum cum Magdalena longè à te aberrantem in viam salutis revocando; toties tam immundum in sanguine tuo dealbando; toties tam prodigum filium in osculum pacis recipiendo, toties tam infidelem sponsam in intimam familiaritatem invitando.

Verè miserator & misericors es Domine, patiens & multùm misericors, verè suavis es universis; & miserationes tuæ super omnia opera tua. Confiteantur tibi omnia opera tua, maximè opera misericordiæ & pietatis, & sancti tui miserationes tuas experti benedicant tibi, misericordias tuas æternùm cantantes.

Agnosco, veneror, amplectorque viscera misericordiæ tuæ tantæ erga me, electosque omnes comprehensores & viatores, atq; illorum, omniumq; possibilium creaturarum, possibili affectu gratias ago, agamq; æternùm, pro ineffabili illo æternæ dilectionis excessu, quo me inter illos à tot peccatis, in quæ incidissem, clementer præservâsti, in tot quotidie toties labentem, tam longanimiter tolerâsti, tam misericorditer ad pœnitentiam lapsum exstimulâsti, tam benignè pœnitentem in gratiam recepisti, insuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem resipiscendi, copiosam gratiam sanctiùs deinceps vivendi, & firmam spem perseverandi, gloriamq; consequendi, communicare hucusq; dignatus es.

Pro

Pro his, aliisq; innumeris bonitatis tuæ beneficijs, utinam totâ vitâ laudassem te, & gratias egissem; utinam te infinito honore & amore dignissimum semper amâssem, & glorificâssem; utinam nunquam offendissem, nec offenderem posthac in æternum: sed eheu! quàm parum agnovi, amavi, glorificavi te, ô bonitas infinita! quid retribui tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi, præter innumeras offensiones, ingratitudines, negligentias? doleo de his, & de omnibus, & singulis totius vitæ peccatis ex animo, non propter supplicij metum, sed purè propter te Deum meum infinitè amabilem, quia tibi, quem diligo, diligamq; æternùm, super omnia displicent.

Ardenter desidero, firmiterq; propono emendare omnia peccata mea, maximè hæc N. cum gratia tua, per hæc media, & novo fervore methodum tuo impendere servitio.

Per eandem benignitatem & charitatem tuam infinitam, quâ cum Patre & Spiritu Sancto, ô bone Jesu! me ingratum peccatorem, & pœnitentes omnes, toties oculis misericordiæ tuæ, tàm benignè respexisti, longanimiter tolerâsti, in sanguine tuo dealbâsti; & nunc respicere, tolerare, & dealbare non desinis, memento & miserere totius Ecclesiæ tuæ Sanctæ, ejusq; capitum & membrorum.

O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei, & Virgo, S. Angele Custos, Sancti Patroni mei N.N. omnesq; electi, benedicite, laudate, & superexaltate Dominum mecum; & pro me, pro hoc, alijsq; beneficijs mihi & vobis, omnibusq; collatis, & conferendis in æternum; gratiamq; impetrate, illum nunc perfectè glorificandi in via, olim beatè vobiscum in Patria æternùm illi cum Cherubim & Seraphim accinentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, benedictio & claritas.



ALIA FORMULA PULCHERRIMA

Excitandi affectus post Confeßionem.

O Jesu infinitè amabilis, unde mihi tam vili terræ vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo, tam prodigo filio, tam infideli sponsæ, tanta miseratio, tantæ benignitatis? tanta dignatio, tantæ Majestatis? tanta dilectio, tantæ charitatis? ut me toties à te longè aberrantem oculis misericordiæ tuæ respicere, erroneum reducere, cæcum illuminare, lapsum erigere, & ad pacis osculum invitare digneris. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Agnoscaris, ameris, glorificeris infinitè, infinities ab omnibus, in omnibus, super omnia, gratis, propter te in æternum, & ultra.

Quomodo multiplicas super me hucusq; misericordiam, charitatem & bonitatem tuam? agnosco, veneror, amplector, omniumq; creaturarum possibilium, possibili affectu gratias ago, agamq; in æternum.

Quàm parum & imperfectè te infinito honore, amore, obsequio dignissimum redamavi, glorificavi, insuper toties sic N. offendi. Agnosco, detestor ingratitudinem meam, atq; ex animo doleo propter te: ex momento hoc te, tuumq; sanctissimum beneplacitum brachijs dilectionis, & omni possibili pietatis affectu (licet me velles annihilare, aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet) arctissimè constringo, constringamq; in æternum.

Da ut sciam, velim, possim id perfectè præstare, sicut scis & vis, per sudorem & sanguinem tuum, Jesu, Deus cordis mei, da gratiam, omnia peccata, maximè hoc N. emendandi, in hac N. virtute proficiendi, hoc N. opus reformandi, in sancta vocatione perseverandi. Fac, ut in te vivam, in te moriar, in te perennem, sim obsecro totus tuus,

tuus, & tu meus, ô Jesu in æternum, per merita tua, Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum.

DE CULTU AUGUSTISSIMI EUCHARISTIÆ SACRAMENTI,

Confessio fidei de SS. Sacramento à Sancto Thomâ Aquinate composita, quam Ecclesia per Octavas Corporis Christi in Sacro Missæ Sacrificio usurpat.

LAuda Sion Salvatorem,
Lauda Ducem & Pastorem,
In hymnis & canticis.
Quantùm potes, tantùm aude;
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
Panis vivus & vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in sacræ mensa cænæ,
Turbæ fratrum duodenæ,
Datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora,
Mentis jubilatio.
Dies enim solennis agitur,
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis,
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cæna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit,
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
Quòd in carnem transit Panis,
Et Vinum in Sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Præter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus,
Signis tantùm & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, Sanguis potus,
Manet tamen Christus totus,
Sub utraq; specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille,
Quantùm isti, tantùm ille,
Nec sumptus consumitur.
Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.
Mors est malis, vita bonis,
Vide paris sumptionis,
Quàm sit dispar exitus.
Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantùm fit fractura,
Quâ nec status, nec statura,
Signati minuitur.
Ecce Panis Angelorum,
Factus cibus viatorum,
Verè Panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Cùm Isaac immolatur,
Agnus Paschæ deputatur,
Datur manna Patribus.
Bone Pastor, Panis vere,
JESU nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre,
In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hîc mortales,
Tuos tibi commensales,
Cohæredes & sodales,
Fac Sanctorum Civium, Amen.

DEVOTÆ CONSIDERATIONES
Ante Communionem.

QUis ego sum, benignissime JESU, ut desiderio apud me manendi tenearis? num vilissimam meam originem ignoras? Non sum ex numero cælestium illarum legionum, non Seraphus, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex Sacratissimis Spiritibus. Homo sum, qui ante nihil fui, ex terræ limo ducens initium. Putredo Pater meus est, mater mea & soror mea vermis. Quid igitur reperis in me? quod te tantopere delectet? fortasse, ô speciosissime forma præ filiis hominum, deliciæ tuæ sunt esse cum filiis

ho-

hominum? verùm non ſum ego Moyſes, non Abraham, non Jacob: longè abſum à ſanctitate Joannis, à puritate MARIÆ Virginis, à charitate Apoſtolorum, à Sanctorum tuorum perfectione. Peccator ſum, tuâ præſentiâ indignus, qui te pro fæda voluptate, & lucro temporali non ſemel vendidi. Et ego te jam cum Juda deoſculabor? & velut Regem Judæorum ſalutans arundine, hoc eſt, vacuitate virtutis & levitate nimia vitæ meæ, caput tuum percutiam?

Si Sanctus Joannes Baptiſta, in ventre Matris ſanctificatus, Vir tantus, & tam admirabilis, non reputat ſe dignum, qui te tangat, aut ſolvat corrigiam calceamenti tui: ſi Sanctus Petrus Apoſtolorum princeps, præſentiam tuam in navicula ſua extimeſcens, dicit: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*: ſi centurio indignum ſe dicit, ſub cujus intres tectum: quomodo ego totus in peccatis natus, audebo te, non dicam tangere, ſed etiam in me accipere, & manducare? o flos campi! o Lilium convallium! Panis Angelorum! quomodo nunc à beſtia manducaberis? quomodo qui paſceris inter lilia, paſcuæ locum, apud me, inter ſpinas & tribulos invenies?

Memini tamen, Domine, quia meretricem ſuſcepiſti, quia cum peccatoribus manducâſti, quia multò gratiores fuerunt tibi lacrymæ Magdalenæ, quàm Phariſæi epulæ: ideò ad te venio alacris, & bonæ ſpei plenus, quòd me non reiicies, nec repudiabis. Quare, ô bone IESV, venientem me recipe, ac tibi per hunc Panem myſticum, quem in me accipere ardeo, coniunge.

Et quamuis, ô ſuaviſſime IESV, ab hac menſa juſtiſſimus timor ex magnitudine ſcelerum meorum me abducat, & abſtrahat; ſpes tamen & amor, quem cognita miſerationum tuarum immenſitas parit, urgent & invitant; ſcio enim te dixiſſe: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores, &: Non opus eſt Medico ſanis; ſed malè habentibus: ideoqué Zachæo

publi-

publicano desiderio tui videndi accenso, & ostendisti te, & eum benignè compellästi, cumq; eo agere, & manducare voluisti: ut quid ergò de tua misericordiâ, bone IESV, diffidam? cur ad mensam tuam invitatus non provolem? In qua mihi pharmacum salutis porriges: & propinabis vinum quod germinare facit Virgines, quod serpentes interimit; quod vitam mortuis restituit. Venio ergò, Domine, ostende mihi faciem tuam, ingredere in domum meam; dic quia salus facta est domui meæ: & cur non salus illi fiet? ad quem Salvator diverterit. Amen.

ORATIONES
ANTE SACRAM COMMUNIONEM.

I.
Sancti Ambrosii Episcopi, Ecclesiæ Doctoris.

AD mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine IESV Christe, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordiâ & bonitate, accedere vereor & contremisco; nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè custoditam. Ergo, ô pia Deitas! ô tremenda Maiestas! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro; ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, & quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego: scio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo. Spero in misericordiis tuis, quarum non est numerus. Respice ergò in me oculis misericordiæ tuæ, Domine IESU Christe, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem, exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriis & peccatis; Tu, qui

fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata; salve nobilis & pretiose Sanguis de vulneribus Crucifixi Domini IESV Christi profluens; & peccata totius mūdi abluēs. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti: pœnitet me peccasse, cupio emendare, quod feci; aufer ergo à me, clementissime Pater, omnes iniquitates & peccata mea; ut purificatus mente & corpore, dignè degustare merear Sancta Sanctorum: & concede, ut sancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo; sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumq; tibi placentium salubris efficacia, animæ quoq; & corporis contra inimicorum meorum insidias, firmissima tuitio. Amen.

II.

Augustini Episcopi Ecclesiæ Doctoris ad B. V. MARIAM.

O Mater pietatis & misericordiæ, Virgo MARIA, ego miser & indignus peccator, ad te confugio toto corde & affectu, & precor pietatem tuam, ut sicut dilectissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita & mihi nunc ad mensam ejus Divinam accedenti assistere digneris, ut tuâ gratiâ adjutus, eum non indignè merear accipere. Amen.

III.

Hieronymi Doctoris Ecclesiæ sub mortem, in terram prostrati ante Sanctissimum Sacramentum.

DOmine mi, quis ego sum, ut intres sub tectum meum? sumné ego melior quàm Patres mei? Moysi Viro Sancti-

ctiſſimo non conceſſiſti ut videret faciem tuam, quomodo ergo nunc ſic te demittis ut viſites pauperem, publicanum, & peccatorem, ſatis tibi non eſt mecum cibum ſumere, ſed inſuper præcipis, ut te comedam.

Quàm benè proſpectum eſt errabundæ ovi, cùm teneat intra ſe paſtorem ſuum; non timeo inferni miniſtros, neque monſtra abyſſi; nunquam me meus dulcis Paſtor deſeret, poſtquam mea viſcera ſubivit; retinebo eum mecum, nec elongabit ſe à me; tu es Deus meus & Pater meus, non timebo mala, dum tu mecum es, etiamſi mors ſtet contra faciem meam.

Vide, ô Jesu! ego ſum æger, & tu medicus, ſana me; ego nudus, & tu dives, contege me, libera me, de tot laqueis; defenſor meus, gubernator meus, cuſtos, Deus, Rex & Dominus meus; in cuius manus commendo ſpiritum meum, quem redemiſti in ligno crucis; & propter quem diſtendis & dilatas miſericordias tuas. Amen.

IV.

Thomæ Aquinatis Eccleſiæ Doctoris.

OMnipotens ſempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum Unigeniti Filij tui, Domini noſtri Iesu Chriſti, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenùs meam curare digneris infirmitatem, lavare fæditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: ut Panem Angelorum tantâ ſuſcipiam reverentiâ & humilitate, tantâ contritione & devotione, tantâ puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti meæ. Da mihi, quæſo, Dominici Corporis & Sanguinis non ſolùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem, & virtutem Sacra-

cramenti: ô mitissime Deus! da mihi Corpus Unigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelatâ tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

V.

Sancti Francisci Confessoris.

O Domine Deus meus, quis es tu, & quis ego? Ecce hîc sto ante te, Domine, tanquam mendicus ante divitem; petens, ut divitias gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare velis.

O Domine Iesu, hîc sto ante te, ut servus ante Dominum; petens cibum & potum corporis & sanguinis tui, simul & vestem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine, hîc sto ante te, ut reus ante judicem terribilem; petens, ut mihi Iudex pius esse velis, quando separabitur anima mea à corpore, & ante Tribunal tuum præsentabitur.

O Domine, hîc sto ante te, sicut amicus ante amicum; petens, ut eximia charitas tua trahat me ad te, me liget in te, & non permittat me unquam separari à te.

O Domine, hîc sto ante te, tanquam filius ante Patrem; petens confidenter, ut necessaria & salutaria quæque mihi provideas, & paternam hereditatem mihi finaliter non velis denegare. Amen.



ADORATIO SANCTISSIMI SACRAMENTI
Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Ecclesiæ.

ADoro te devotè latens Deitas,
Quæ ſub his figuris verè latitas:
Tibi ſe cor meum totum ſubjicit,
Quia, te contemplans totum, deficit.
Viſus, guſtus, tactus, in te fallitur;
Sed auditu ſolo tutè creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat ſola Deitas;
At hîc ſimul latet & humanitas.
Ambo tamen credens atq; confitens:
Peto quod petiit latro pœnitens.
Plagas ſicut Thomas non intueor;
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me ſemper te magis quærere,
In te ſpem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam præſtans homini:
Præſta meæ menti de te vivere;
Et te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane, IESU Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine;
Cujus una ſtilla ſalvum facere
Totum mundum poteſt omni ſcelere.
IESU, quem velatum nunc aſpicio;
Oro fiat illud, quod tam ſitio;
Ut, te revelata cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ. Amen.

DEVOTÆ ASPIRATIONES

Circa ipsam Communionem.

I.

O Deus scrutator cordis mei, cupio sumere, utinam re ipsa possim, mirabile & cæleste Sacramentum, omni, quâ par est, pietate & religione, omni affectu & desiderio, & fervore Angelorum & electorum tuorum. Domine, ante te omne desiderium meum, paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; offero tibi totum cor meum, & omnia; desiderium pauperis exaudi, ô Domine! parationem cordis ejus audiat auris tua, suppleat Divina & immensa tua benignitas, quidquid mea non valet humana infirmitas.

II.

EJa veni, Domine, & noli tardare; sed veniat, obsecro, tecum illa multùm desiderabilis bonitas, mansuetudo, charitas, & misericordia tua, per quam excusetur & juvetur miseria mea.

III.

HAbeam te, Jesu mi, qui habes omnia; possideam te, qui potes & possides omnia. Ergò, ô Deus meus, & omnia, abstrahe cor meum à cæteris omnibus extra te, in quibus nil, nisi vanitas, & afflictio spiritûs. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, & vera felicitas, & felix æternitas.

IV.

SEntiat, ô Domine Jesu, mens mea dulcedinem præsentiæ tuæ, gustet, quàm suavis, sis Domine; ut inescata amore tui, nihil

quæ-

quærat extra te, unde gaudeat; quia tu es gaudium cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

V.

O Deus meus! & omnia, abſorbeat mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce mori, ô Deus meus, & omnia.

VI.

ERgo, ô bone JESU, dulciſſime & amantiſſime JESU, JESU amor cordis mei, unicum & æternum bonum meum, deſideratiſſime JESU, conjunge me tibi, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ, Eccleſiæ & MARIÆ: paratum cor meum, paratum cor meum, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

In actu Communionis cum Chriſto ſic agebat.

1. BEnedictus ſis, Domine JESU Chriſte, pro tua ſumma charitate, doloribus, & patientia, quam in me uſq; ad hanc horam habere dignatus es.

2. Proindè tibi omnem vitam meam, cogitationes ac ſenſus meos offero; omnia membra, actiones, tam internas, quàm externas, tu dirige ad laudem & guſtum tuum, quàm maximum, ut pro tua clementia, ac bonitate, me quoddam exemplar, & veluti imaginem humanitatis tuæ efficias.

3. Deprecor autem immenſam clementiam tuam, ut transfigas viſcera animæ meæ, ſaluberrimo amoris tui vulnere; langueat ſemper deſiderio tui, & in tuo fidelitèr perſeveret obſequio. Da, ut anima mea nullam deſideret conſolationem, reple cor meum dulcedine ſaporis tui, & torrente ubertatis æternæ inebria; ut omnia propter te amara ſincerè amplectatur, & in crucis deſiderio emoriatur.

GRA-



GRATIARUM ACTIO
Post Sacram Communionem.

I.

S. P. Ignatio Societatis IESV Fundatori usitata.

ANima Christi, sanctifica me; Corpus Christi, salva me; Sanguis Christi, inebria me; aqua lateris Christi, lava me; Passio Christi, conforta me; ô bone IESU exaudi me! & ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum sanctis & electis tuis laudem te, in sæcula sæculorum. Amen.

II.

S. Thomæ Aquinatis Ecclesiæ Doctoris.

GRatias ago tibi, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore & Sanguine Filij tui Domini nostri IESU Christi.

Et precor, ut hæc Sancta Communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis; sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio; charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumq; virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quàm invisibilium firma defensio; motuum, meorum tam carnalium, quàm spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atq; finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo & Spiritu Sancto, Sanctis

tuis

tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum &c.

III.

S. Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris.

TRansfige, dulcissime Domine Iesu, medullas viscerum animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, verâ, serenâq; & Apostolicâ sanctissimâ charitate, ut langueat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui: te concupiscat, & deficiat in atria tua; cupiat dissolvi & esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstãtialem habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ; te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei, te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione; cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usq; in finem, & tu sis solus semper, spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

IV.

ORATIO AD JESUM.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine IESU Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis: euntem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perseverantem me in gloriam introducat. ô altissime Deus! beatissima præsentia Corporis & Sanguinis tui, sic immutet palatum cordis mei, ut nullam unquã sentiat dulcedinem, nullã amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorẽ, nullam desideret consolationẽ, nullam admittat unquã delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, A.

V.

AD SANCTISSIMAM DEI MATREM VIRGINEM MARIAM,

D. P. Petri Canisij Societatis IESV.

COmmendo me tibi, serenissima, verèq; inclyta Virgo MARIA, cæli ac terræ Regina, quæ in tuo sacratissimo utero, eundem Dominum & omnium creatorem, quem ego modò suscepi, de Spiritu Sancto conceptum dignè portâsti; precor te Matrem Dei Sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, & quacunq; ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiæ & indignitatis

meæ veniam impetres. Tu semper pura, casta, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior & sanctior, Deoq; gratior evasisti: utinam & ego tam Divini Sacramenti perceptione ita sanctificer; ut deinceps cor meum & corpus ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu Sancto magnificas laudes Domino lætè decantâsti; & in Deo salutari tuo mirabiliter exultâsti. O si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hac Sacra Communione novum & ardentem spiritum concipiam, ac semper in gratiarum actione piâ verser; tantoq; Salvatori & Redemptori & hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam.

ADSPIRATIONES DEVOTÆ
Post Sacram Communionem.

MIrantur, ô bone IESU, creaturæ omnes, te in purissimum MARIÆ Matris tuæ uterum descendisse; cùm tamen integerrima illa, & omni virtute ac gratiâ refertissima fuerit; an non mirari magis debent, voluisse te in me ingredi, à me recipi, à me teneri, deformi, inopi, sordido.

Benedicant te omnes Angeli tui, bone IESU, quia, quod proprium est Sponsi & Sponsæ, tibi me vis inseparabili vinculo conjungere: effice ergò, te ut unum diligam, te unum ut sitiam, & amem; ac nullæ me mundi illecebræ, nulla carnis voluptas, nullæ dæmonum insidiæ abs te avellant, & separent.

Da mihi præsentiæ tuæ affectus persentiscere, bone IESU: Memini benedictionũ quibus cumulâsti eos, qui te aliquando in domum suam acceperũt. MARIAM Matrem tuam, ubi in uterum te suum accepit, omnibus donis & gratijs cõplevisti: Zacheũ illũ publicanorũ Principẽ, quod te acceperit hospitio, cælesti benedictione cumulâsti: simulatq; in limbũ descẽdisti, illũ in paradisũ quẽdã cõmutâ-

sti domum Obededom, in qua arca testamenti hujus Sacramenti umbra tantùm, & figura reposita fuit, omni benedictione locupletâsti: da quoq; domui meæ, in quam ingressus es, illam benedictionem; eam quæso in Paradisum, converte, eam donis tuis & gratiis cumula.

Memini, patientissime Jesu, sacris de te literis esse mandatum, quòd omnis turba quærebat te tangere, quia virtus à te exibat, & sanabat omnes. Ecce ego te, jam non tetigi tantùm, sed in me quoq; accepi; exeat quæso à te virtus, quæ omnes languores meos sanet, quæ vires novas subijciat ad serviendum tibi, & resistendum suggestionibus inimici.

Simul atque anima tua pretiosissima ex sacratissimo tuo Corpore egressa est, ô Jesu pro nobis crucifixe, voluisti Corpus tuum myrrha & aromatibus conditum, Sindoneq; purissimá involutum, inferri in sepulchrum, petrâ benè munitum, & jam toto orbe gloriosum. Et ecce modò (quæ tua est incomprehensibilis bonitas) Corpus idem tuum, à morte suscitatum, animaq; beatissima informatum, mihi porrigis; in me illud, ut in sepulchrum aliquod inferam, in me, ut illud recondam. Da mihi ergò obsecro fortitudinis petram, ad vincendas omnes imperfectiones, & ferendas omnes adversitates, labores & pericula, omnia quæ pro tuo honore, & mea salute mihi sunt sustinenda. Da quoq; mihi Sindonem castitatis & puritatis, dona postremò myrrham mortificationis, ut hujus divinissimi Sacramenti gratiâ delibutus, à criminibus purus, & integer; nullo mortiferæ perturbationis veneno inficiar, & corrumpar: sed odor, & mihi, & omnibus aliis sim in vitam, & in nominis tui gloriam sempiternam. Amen.



MO-

M O D U S,

Quo Pater Iulius Mancinellus Societatis IESU utebatur in S. Communione, ante Sacram Communionem petebat.

A DEO PATRE.

INeffabilem misericordiam tuam, Deus æterne, Pater omnipotens, humiliter exoro, ut Filium tuum Unigenitum eo mihi affectu in Sanctissima Eucharistia, & cum illa cælestium donorum copia largiaris, cum qua eum Virgini Sanctissimæ in sua incarnatione dedisti.

A DEO FILIO.

OBsecro te Unigenitum Dei Patris Verbum, ut te, cum illa cælestium donorum plenitudine animæ meæ peccatrici communices, cum quâ te communicare dignatus es Matri tuæ Sanctissimæ in tua Incarnatione.

A SPIRITU SANCTO.

TE quoq; dator bonorum omnium, & gratiarum largitor, deprecor, ut ita præpares & disponas cordis mei tabernaculum ad recipiendum SS. Sacramentum, & per illud tantùm donorum tuorum benignè impertiri digneris, sicut præparâsti & disposuisti corpus & animam Beatæ Virginis ad Verbum æternum concipiendum, & quantùm per illud eidem gratiarum contulisti.

A BEATA VIRGINE.

O Intemerata, & in æternùm benedicta, singularis, atq; incomparabilis Virgo Dei Genitrix MARIA, obsecro te, ut mihi impetres tantùm erga Christum Dominum, in Eucharistia recipienda, amorem; quantò eum prosecuta es, dûm eum in ulnis gestares.

A SS. ANGELIS.

VOs, beatæ mentes Angelicæ, imploro & exoro, ut mihi tantam reverentiam à Domino impetrare velitis, quantâ ei & in terris commoranti servivistis, & quantâ nunc in cælis ad ejus obsequium vos impenditis.

A SS. OMNIBUS.

VEstris meritis, omnium Sanctorum Spiritus, impetrare mihi dignemini, tantam devotionem, & tantam abundantiam virtutum, ad dignè recipiendum Redemptorem nostrum, cum quanta in carne mortali viventes SS. Eucharistiam recipiebatis, aut Missæ Sacrificium offerebatis.

A CHRISTO DOMINO.

ROgo te, Domine Jesu Christe, per tuam sanctissimam humilitatem, ut eo te velis communicare affectu, cum quo suscipere dignatus es carnem fragilitatis nostræ; & cum quo eam, pro nobis mortuus, exposuisti: ut cum ea plenitudine virtutum, Corpus tuum degustare merear; quæ quàm maximè correspondeat efficaciæ meritorum vitæ, Passionis, & mortis tuæ; & per hanc plenitudinem virtutum, humanitas mea reddatur quàm simillima sanctitati humanitatis tuæ; ut fiam membrum proportionatum quàm maximè tibi capiti meo. Siquidem tu es caput nostrum, & corpora nostra, membra sunt tua, & nos membra sumus Corporis tui de carne tua, & ossibus tuis.

Niteant puritate & sanctitate membra nostra, Domine, ut huic Sacramento, quod indignus suscepi, mereantur incorporari, & inter ejus membra numerari.

POST COMMUNIONEM.

1. GRatias ago, adoro, & benedico te, Pater cælestis, omni affectu possibili, in tua æternitate, immensitate, infinitate, in persona Christi Unigeniti Filij tui, Virginis

Matris ejus Sanctissimæ, Angelorum SS. & omnium beatorum Spirituum, omniumq; creaturarum.

2. Complacui mihi, Domine, super omnia bona in tua Deitate & felicitate, de tua gloria & honore, de voluntate & operibus, quæ tam erga me, quàm alias creaturas declarare non cessas.

3. Insuper offero tibi dilectissimi Filij tui merita, Beatæ Virginis, ac Sanctorum omnium, ad laudem & gloriam tuam, & cum meritis Domini mei, omnes cogitationes, sermones, actiones, & passiones meas, ex quibus lauderis in æternum. Amen.

PRÆPARATIO AD BEATAM MORTEM.

Fac modò, qua moriens facta fuisse velles pro felici morte.

ORATIO AD CHRISTUM.

JAm commendo spiritum meum sanus & valens, ut commendatum habeas, ô Christe! quando illum commendare non potero ampliùs; etsi suis vinculis nondum solutum; timeo tempus illud, quo inter vivos ero, nec esse me sciam. Videmus in moribundis plerisq; id fieri; spirant, vivunt, & vivere se nesciunt. Quis palpitantem tunc spiritum, & migrare trepidantem, tandem & amico carcere migrantem recipiet, si tu excludes, orbis Conditor, Christe patientissime? recordare etiam te in illis extremis angustijs lachrymatum, & deseri questum esse, Spiritum Patri commendâsse, exclamâsse, exspirâsse. Ad te ego clamo, ut tu meus Servator, spiritum meum tunc suscipias, quocunque morbo, tempore, loco è corpore abeuntem. Recordare, bone JESU, in Cruce te brachia expandisse, pectus aperuisse, caput inclinâsse. Ecce anima mea à rebus creatis omnibus deserta, refugium quærit, in illa tua brachia sese immittit,

in-

in illum tuum pectus se ingerit, admitte obsecro miseram; & nè inde exturba, donec ira Dei transeat. Hîc secura, hîc ab inferorum satellitibus tuta lateat.

Ergò in manus tuas Domine commendo spiritum meum, imò tuum; quia tu eum creâsti, & reparâsti; figmentũ tuum, ô Deus! nè despice; denique commendo animam Creatori, qui eam ex nihilo creavit; Salvatori, qui pro ejus salute vulneratus in Cruce obijt; Spiritui Sancto, qui se ei tam copiosè commendavit; Virgini gloriosæ, Angelo meo Custodi, meq; ipsum inter brachia Redemptoris mei, dico: vivere nolo, & mori cupio. In manus tuas commendo spiritum; Deus propitius esto mihi peccatori: propter quod, quando in agone constitutus, amplius linguâ loqui non valuero, me ex animo desiderare, Deo meo uniri: ex nunc pro tunc illi offero agoniam, labores, sudores, & passiones meas, uniendas agoniæ, sanguineo sudori, doloribus, & passionibus charissimi mei Jesu Christi; pro remissione peccatorum meorum, & ad gloriam ejus æternam: omnesq; ipsi assistentes Angelos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo suis sublevent orationibus.

ALIÆ ORATIONES.

AGnosce, Domine, creaturam tuam, non à Diis alienis creatam, sed à te solo Deo vivo & vero, quia non est alius Deus præter te; & non est secundum opera tua: lætifica, Domine, animam servi tui, & delicta juventutis, & ignorantias ejus nè memineris; sed secundùm magnam misericordiam tuam, memor esto illius in gloria claritatis tuæ; liberet me ab æterna morte Christus, qui pro me mori dignatus est; Christus verus ille Pastor, me inter oves suas agnoscat; & in sorte Electorum suorum constituat. Ita precor, ita spero in Nomine Dei Patris Omnipotentis, qui me creavit, in Nomine Jesu Christi Filij Dei vivi, qui pro me passus est; in Nomine Spiritûs Sancti, qui in me gratiâ sua sæpius effusus est. Amen.

Do-

DOmine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in cruce, maximè in illa horâ, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto Corpore tuo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen.

Qui passus es pro nobis, Jesu Christe, miserere nobis. *Quinquies.*

AD B. VIRGINEM MARIAM.

O Domina mea dulcissima, visceribus misericordiæ plena, per septem dolores tuos, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea & improvisa superveniat, nè subitò & imparatus de hoc mundo transeam, ora pro me, Virgo MARIA benedicta, ob Unigeniti mortem amantissimam, ut peccati detestatione, & diaboli, & operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura & humili confessione, pœnitentia & satisfactione, digna Dei acceptione, proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo transeam. Fac mecum misericordiam tuam, Mater Dei, in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingua se movere non poterit ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, auresq; meæ nulli voci patescent. Memor esto, ô MARIA, precum, quas nunc fundo ad aures pietatis tuæ, & subveni mihi in illa hora necessitatis, ut liberer à ministris diaboli, ut collocer cum Christi Filij tui servis, & amicis tuis. Amen.

ALIA AD EANDEM.

AUdi gemitus & dolores ultimos servuli tui, dulcissima Virgo Mater MARIA, fons vitæ & veniæ. Salus omnium in te sperantium, audi & intercede, ut à ministris Satanæ liberatus, cum Christi fidelibus, Filij tui servis & amicis, in beata regione vivorum collocer.

MARIA Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, tu nos

ab hoste protege, & horâ mortis suscipe. Mater Sanctæ spei, ô MARIA! in manibus tuis sortes meæ, adjuva me, tibi me totum, & judicium pauperculæ animæ meæ, tuæ misericordiæ committo.

Suspiria infirmi, coram Christi Crucifixi effigie.

AD te converto me, Redemptor meus, convertere & tu ad me, Spes mea unica.

Clementissime JESU, concede huic vilissimæ creaturæ beneficium redemptionis, & recipe miserabilem hanc animam intra brachia tuæ misericordiæ.

Ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Bone JESU, Sanguis ab his venis profluxit, ut ego me illo redimerem; ego sum illa merces tanto pretio empta; ego sum illa ovis perdita, reduc eam, ô dulcis Pastor, & pone inter illas, quæ sunt in ovili tuo.

Respice, Domine Sancte Pater, de excelso cælorum habitaculo. Ecce vox Sanguinis Fratris nostri JESU Christi pro nobis clamat ad te de cruce.

Respice innocentes manus, quæ distillant pretiosum sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam, & ne requiras opera manuum mearum.

Intuere illud lanceâ perfossum pectus, & amore mei apertum cor, meq; ex sacro illo fonte renova.

Per sacros illos pedes duris clavis perforatos, dirige gressus meos, ut non recedant hac horâ, à semita lucis & veritatis.

Defige oculos, ô Pater cælestis, in faciem hanc dilecti Filij tui, & in membra conquassata Christi tui, & per miserias, quas ille amore mei sustinuit, miserere.

Propter peccata populi tui vulnerâsti dilectum cordis tui, Pater misericordissime, quod ego non mereor, meretur pro me Christus tuus; ejus amore amplectere me gratiâ tuâ ut filium, & da mihi osculum pacis æternæ.

ORA-

ORATIO

Pro felici morte impetranda.

O Sancte Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, & dulcissimæ Sponsæ tuæ Mariæ complexu, ex hac vita emigrâsti, succurre mihi, ô Sancte Pater, cum Jesu & Maria, tunc potissimum, quando mors vitæ meæ finem imponet, illudq; (quod unicè peto) solatium mihi imperta, ut in iisdem Sanctissimis Jesu & Mariæ brachiis exspirem. In manus vestras vivens & moriens commendo spiritum meum. Jesus Maria Joseph.

AD SANCTAM BARBARAM V. & M.

AVe Martyr gloriosa, Barbataq; generosa, Paradisi vernans rosa, castitatis lilium. Ave Virgo, pulchra tota, charitatis fonte lota, dulcis, mitisq; devota, vas virtutum omnium. Ave criminis ignara, Sponsum audis voce clara, veni pulchra, veni clara, veni coronaberis. Ave Barbara serena, pulchra quasi luna, plena singulari cantilena, Sponsum Agnum sequeris. Ave Barbara beata, quæ cum Sponso præparata, nuptiarum ad optata transivisti gaudia. Ave fulgens margarita, in corona Jesu sita, tam in morte, quam in vita, sis nobis propitia.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua,

℟. Intende, prosperè procede, & regna.

ORATIO.

INtercessio nos quæsumus, Domine, beatæ Barbaræ Virginis & Martyris semper adjuvet, ut non subitò moriamur, sed ante diem mortis nostræ, Sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, sacrisq; Olei Unctionis Sacramentis salubriter muniamur, & ab omni malo protegamur, & ad cælestia regna perducamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. A.



PROTESTATIONES
SANCTI CAROLI BOROMÆI,
Pro felici Morte impetranda.

Pater noster, &c.

PROTESTATIO I.

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, ego infelix & miser peccator, protestor, in præsentia tua, ô Angele Dei assignate mihi à Divina Majestate pro ductore, cùm primùm natus sum; velle, & desiderare me mori in ea sola vera, & catholica fide, quam Sancta Romana, & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia; & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam, uspiam mortui sunt, nec desidero diutiùs vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè, & ex toto subijcio.

Pater noster, &c.

PROTESTATIO II.

PRotestor etiam, ô Angele Dei, desiderare, & velle me, sub tua sancta custodia, ac protectione discedere, ex hac vita cum spe divinæ misericordiæ, sine ulla titubatione in fide, non obstante quacunq; multitudine, & gravitate peccatorum meorum, certò sciens, ac firmissimè credens etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri JESU Christi, sufficientem futuram fuisse, non solùm, ut me salvaret, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ majestati.

Pater noster, &c.

PRO-

PROTESTATIO III.

SImiliter protestor, ô Angele Sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiæ Redemptoris, & Domini mei Jesu, remissionemquè omnium peccatorum meorum consequi; sciens, quòd ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi, & abominabili neget, ritè contrito, & confesso; idq; per & propter merita amarissimæ suæ passionis & mortis, & virtutem pretiosissimi sanguinis sui, pro me indignissimo in ligno crucis copiosè effusi, per merita demum Sanctissimæ Matris suæ Virginisq; Mariæ, & omnium Sanctorum & Angelorum.

Pater noster, &c.

PROTESTATIO IV.

ITerum protestor, Sanctissime mi Custos, supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam, etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio, ad novissimum usque judicij diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam æternam.

Pater noster, &c.

PROTESTATIO V.

SAnctissime & vigilantissime Custos, protestor demum constituere me te procuratorem testamenti, ultimæquè voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo Jesu tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solùm lachrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dùm per tres horas vivus fuit in cruce, quorum efficacia & virtute mitigentur lachrymabiles illi singultus, cordisq; pressuræ & angustiæ, quibus in hora mortis affligar; & ut gloriosissima Mater Dei Maria, dignetur me, vel unico etiam aspectu, ex ijs, quos ipsa sub cruce stans habuit, defigendo in unicum filium suum virgineos oculos, suscipi-

endo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis, in die judicij obtinebunt ſalutem, & vitam ſempiternam. Altera gratia eſt, ut tu fidiſſime Cuſtos meus, in illa potiſſimum hora mihi ſuccurras, quando anima mea ſeparabitur à corpore meo, ut inveniam benignum Judicem, meritô flagrantiſſimæ illius charitatis, quâ paternum ipſius pectus in cruce fuit inflãmatum, pro ſalute peccatorum. Ultima denique gratia eſt, ut tu idem pijſſime Cuſtos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamq; de ergaſtulo corporis egreſſam, dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo offeras, ut eum una tecum & Sanctis omnibus in cæli gaudijs videam, perfectè amem, eoq; æternalitèr fruar, cui ſit laus, honor, & gloria, in omnem æternitatem. Amen.

COMMENDATIO ac PROTESTATIO AD S. ANGELUM CUSTODEM

Manè quotidie facienda.

BEatiſſime mi Angele Cuſtos, ego quamvis tuâ ſacrâ cuſtodia indigniſſimus, impulſus tamen eximia charitate tua, & zelo illo, quem habes erga ſalutem animæ meæ, eligo te hodie in præſentia totius curiæ cæleſtis, pro ſingulari Protectore & advocato meo, firmiterq; propono, tibi ad mortem uſque fidelitèr ſemper obedire. Obſecro te igitur per gloriam illam, quâ in cælo fueris, ut acceptes hoc propoſitum meum, & gratum habeas ſincerum hunc affectum erga te meum, adſis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamq; impetres à tuo & meo Domino, ita me gerendi in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus meis ut puriſſimos oculos tuos, nunquam offendam, neque Divinam Majeſtatem, ad juſtam contra me iram accendam, adſis mihi ſemper, nec deſeras in hora mortis meæ.

A M E N.

CO-

COROLLA sivè ROSARIUM

Sancti Angeli Custodis sic recitari potest.

AD *globulos majores dicatur* Pater noster, *ad minores hæc Oratio.* Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie, & in hora mortis meæ, illumina, custodi, rege, & guberna. Amen.

ORATIO

AD S. MICHAELEM ARCHANGELUM.

SUmmæ Sedis minister, Princeps militiæ cælestis, & Signifer curiæ supernorum, Sancte Michaël, Angele pijssime, Archangele placidissime, tibi corpus & animam, tota intentione tuendam, committo; tibi specialiter post Deum & Dei Genitricem, vitæ & mortis meæ curam commendo, te hodie & quotidie in præsentia totius cælestis curiæ pro singulari Patrono, Protectore, & advocato meo eligo. Obsecro igitur te per gloriam tuam, quâ in cælo jam frueris, ut hoc propositum meum, & sincerum hunc affectum erga te meum, gratum habeas. O serve Dei excelsi! Sancte Michaël, adesto mihi nunc & semper, at maximè in fine vitæ meæ, ipsum obitum attentiùs tibi commendo, benignè me tunc consolare, conforta, & protege. Impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum veniam, & profundam humilitatem, & alias virtutes omnes; effice tuis gloriosis precibus & meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat. Insuper rogo te, ut in novissimo die benignè suscipias animam meam in sinu tuo sanctissimo, & eam comitantibus, Angelo Custode meo, & Angelis tuis, ad requiem sempiternam cum exultatione perducas. Amen.

ORATIO

Sancto Michaëli gratissima, sicut ipse cuidam Episcopo apparens, asseruit.

PRinceps gloriosissime Michaël, Dux cælestium Exercituum, susceptor animarum, debellator malorum spirituum, Ecclesiæ Dei post Christum admirabilis, grandis excellentiæ & virtutis Rector, omnes nos clamantes ad te ab omni libera adversitate, & in omni cultu Dei facias proficere tuo pretiosissimo officio, & dignissima prece.

℣. Ora pro nobis Sancte Michaël,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui salutis humanæ naturæ, ex summa clementia tua gloriosum Michaëlem Archangelum mirabiliter deputâsti, concede propitius, ut ejus salutari subsidio hîc mereamur ab omnibus hostibus defendi efficacissimè, & in obitu nostro ab omni tentatione liberati, tuæ excelsæ Majestati beatificè per eum præsentari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



NO-



NOVA PRAXIS
COLENDI SANCTUM JOSEPHUM.

Quam Sanctus Iosephus docuit, & sibi placere asseruit duobus ex Ord: S. Francisci Navi mersâ inter fluctus cum morte luctantibus, & D. Iosephi opem implorantibus, his enim visibilis adfuit, & ad portum deductis, suorum dolorum memoriam commendavit, suum illis auxilium pollicitus, qui eam frequentâssent. Gratian. in vita S. Jos: l. 5. c. 4.

I. SAncte Joseph, cui admirandum cum MARIA conjugium dolori primùm fuit de puritate nulli periculo exponenda sollicito, donec impulsu Divino illud inijsti; doce me, quomodo animum dolore aliquo pressum debeam ad Deum elevare.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

II. Sancte Joseph, qui, cùm desponsata tibi MARIA inventa esset in utero habens, mœstus, cogitabas de illa occultè dimittenda. Impetra mihi cælestem prudentiam, cum charitate conjunctam.

Pater noster, &c. Ave Maria. &c.

III. Sancte Joseph, qui dolebas, cùm tibi & MARIÆ in Bethleem non erat locus in diversorio, adeòq; natus ex illa JESUS debuit in præsepio reclinari; doce me patientiam solidam, seu domi sit aliquid, seu foris patiendum.

Pater noster. &c. Ave Maria, &c.

IV. Sancte Joseph dolore anxie, cùm Herodis metu nocte JESUM & MARIAM accepisti, ac in Ægyptum fugisti. Protege me cum JESU & MARIA, si quis animæ meæ tyrannus, vel occasio quærat perdere me. Doce me fugere.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

V. Sancte Joseph doloribus plene, cùm ex Ægypto redux, nè in Archelaum Herodis Filium tunc regnantem incideres, visioni paruisti: doce me, ita Angeli mei monitis parere, ut quidquid animæ periculosum evenire possit, evitem.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

VI. Sancte Joseph, qui, amissum 12. annos natum IESUM dolenter quæsivisti: doce me, illum nunquam amittere per peccatum; doce me, quidquid ab illo separare potest, totis viribus detestari.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

VII. Sancte Joseph, qui moriens non sine dolore tulisti, à JESU & MARIA corporaliter separari; rogo te per amorem JESU & MARIÆ, ut præsis omnibus doloribus mortis meæ, ultimosq; dolores mitiga.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

JESU MARIA JOSEPH, mei dulcissimi amores, vestri amore patiar, vestri amore moriar, vester sim totus, & nullatenus meus. Amen.

LITANIÆ
DE SANCTO JOSEPHO, SPONSO BEATÆ VIRGINIS.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos. *ut in initiis Litaniarũ.*
Sancte Ioseph Beatæ Virginis Sponse, Ora pro nobis.
Sancte Ioseph in ventre Matris justificate, Ora.
Sancte Ioseph à peccato mortali immunis facte, Ora.
Sancte Ioseph in gratia confirmate, Ora.
Sancte Ioseph Patriarcharum culmen, Ora.
Sancte Ioseph inter omnes in Virginis connubium electe, Ora.

Sancte

Sancte Ioseph ineffabili benedictione donate, Ora.
Sancte Ioseph cui Regina cæli ministravit, Ora.
Sancte Ioseph Christi Pater vocate, Ora.
Sancte Ioseph Christi Tutor amantissime, Ora.
Sancte Ioseph Christi Nutritie fidelissime, Ora.
Sancte Ioseph pueri post Virginem prime Adorator, Ora.
Sancte Ioseph, qui Christum ab Herode liberâsti, Ora.
Sancte Ioseph, qui Virginem traducere noluisti, Ora.
Sancte Ioseph Christo & Matri simillime, Ora.
Sancte Ioseph Spiritûs Sancti donis abundantissime, Ora.
Sancte Ioseph Vir Angelice, Ora.
Sancte Ioseph, qui monitione Custodis Angeli in Christo curam exercuisti, Ora.
Sancte Ioseph, qui ut Angelus Divina Oracula retulisti, Ora.
Sancte Ioseph, qui ut Principatus Christum magni Consilij Angelum gubernâsti, Ora.
Sancte Ioseph, qui ut verus Minister Christi fuisti, Ora.
Sancte Ioseph Dominationibus major, cui Rex & Regina cælorum serviverunt, Ora.
Sancte Ioseph, in cujus brachijs & gremio tanquam in Throno Christus insedit, Ora.
Sancte Ioseph, qui ut Cherubin Virginis Paradisi custodiam habuisti, Ora.
Sancte Ioseph Vir Seraphice, Ora.
Sancte Ioseph Contemplator altissime, Ora.
Sancte Ioseph inter brachia Christi defuncte, Ora.
Sancte Ioseph Angelici concentus Auditor, Ora.
Sancte Ioseph ad limbum Patrum Christi Præcursor, Ora.
Sancte Ioseph, qui inter alios cum Christo resurrexisti, Ora.
Sancte Ioseph, qui corpore & anima peculiaribus gloriæ donis frueris,

Sancte Ioseph, Patrone & Defensor noster dulcissime, Ora pro nobis.
In omnibus nostris angustiis, Adjuva nos S. Ioseph.
In hora mortis nostræ, Adjuva nos S. Ioseph.
Per æternam præelectionem tuam, Adjuva nos S. Ióseph.
Per castissimam desponsationem tuam, Adjuva nos S. Ioseph.
Per omnes labores & sudores tuos, Adjuva nos S. Ioseph.
Per omnes virtutes tuas, Adjuva nos S. Ioseph.
Per omnia merita tua, Adjuva nos S. Ioseph.
Per omnem beatitudinem tuam, Adjuva nos S. Ioseph.
Clientes tui, Te rogamus audi nos.
Ut à Iesu dilecto tuo peccatorum nostrorum veniam deprecari digneris, Te rogamus audi nos.
Ut sodalitates omnes peculiari tibi obsequio devotas tuo favore prosequi digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnes de tuo patrocinio confidentes semper & ubique protegere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis intercessionis tuæ suffragio succurrere digneris, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Valde honorandus est, & amandus S. Josephus,
℟. Inter cujus brachia Christus recubuit.

OREMUS.

Omnipotens & mitissime Deus, qui beatum Iosephum, justum Filium David Mariæ Virgini tuæ Matri Sponsum providisti, & tuum nutritium elegisti; da quæsumus, ut ejus pre-

precibus & meritis tranquilla pace lætemur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducamur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

V O T I V A,

ORATIO AD S. JOSEPHUM.

SAnctissime Ioseph, Iesu Christi Nutritie, ac Mariæ Virginis Dei Matris Sponse, periclitantium & agonizantium gloriosissime advocate, omnium servorum Mariæ Sponsæ tuæ protector fidelissime: Ego te hodie etiam coram Iesu & Maria, & coram tota curia cælesti in Dominum, Patronum, Patrem ac Advocatum vitæ ac mortis meæ eligo, firmiter statuo ac propono me, nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, facturum, neque permissurum, ut contra tuum honorem aliquid unquam agatur. Suscipe me ergò in servum & clientem tuum, meq; Mariæ Sponsæ tuæ in perpetuam protectionem, & in æternas Iesu misericordias commenda; adsis mihi in omnibus actionibus meis, quas omnes offero, ad majorem Iesu & Mariæ, ac tuam gloriam; nec me deseras in hora mortis meæ; ad quam te singularissimè nunc pro tunc invito, ut quod possibilitas mea non obtinet, tua mihi intercessione donetur, per Iesum Christum, dilectissimum Alumnum, & Mariam Sponsam tuam. Amen.

JESUS MARIA IOSEPH, vobis trado cor & animam meam.

A L I A

Pro animi & corporis puritate conservanda.

O Sanctissime Iosephe, nutritie Iesu Christi; ego humillimus cliens tuus, animi & corporis mei castitatem singulariter tibi commendo; & rogo te per Paternam in Iesu custodiam, &

puritatem tuam, ut me eidem Iesu Christo Filio tuo & Agno immaculato, ejusq; vigilantissimæ Matri, immaculatissimæq; Virginum Virgini Mariæ commendare digneris, & ab omni graviore peccato custodire. Nè permittas me ulla unquam impuritatis labe fœdari, sed cùmprimum in tentatione, & peccandi periculo constitutum me videbis, abige procul à corde meo cogitationes & affectus meos immundos, & injectâ memoriâ æternitatis, & Christi Crucifixi, imprime mihi medullitus, ô Iosephe, sensum timoris Domini; & divini amoris in me ignem accende. Amen.

Virginum Custos & Pater, S. Iosephe, cujus fideli custodiæ, ipsa innocentia Christus Iesus, & Virgo Virginum Maria in terris commissa fuit, te per utrumq; charissimum pignus tuum, Iesum & Mariam, obsecro & obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum mente intaminata, puro corde, & casto corpore, Iesu & Mariæ semper facias castissimè famulari. Amen.

CULTUS S. XAVERII.

Statuum omnium Patroni universalis.

O Magnanime, & invicte Christi Iesu Athleta, ô gloriose S. Francisce Xaveri, tu beatissime cæli Incola, Seraphine Paradisi, Magister gentium, magne novi orbis Apostole, Tuba Divini Spiritûs, Aura vitalis, & anima universi. Te agnoscimus, & veneramur innocentissimum integritate vitæ, moribus intemeratum & Sanctum, opere mirabiliter exemplarem, candore virginali purissimum lilium, & virtute miraculorum potentissimum thaumaturgum: tibi devotissimi clientes tui, filiali cordis teneritudine, de magna gloria tua, qua etiamnum frueris in cælo, gratulamur; ubi tot tibi nectuntur beatitudinis coronæ: quot ibi degunt per te animæ salvatæ. Quot cruces su-

ſuſtinuiſti in terris, tot honori tuo modò ſunt erecta trophæa in cælis; quot injurias & opprobria toleraſti, tot honorum & laudum tituli, tot gloriæ & lætitiæ hymni à cæleſtibus tibi accinuntur: te, ô ſuaviſſime Xaveri, Patronum noſtrum invocamus, in tua protectione confidimus, & tua vivimus ſub tutela ſecuri. Accipe hoc exiguum, ſed cordiali affectu oblatum obſequium, impetra nobis veram heroicarum virtutum tuarum ſequelam integram, noſtri notitiam, & animi demiſſionem, magnanimum ſpiritum ad promovendam Dei gloriam, Seraphicum numinis amorem, rerum temporalium contemptum, conſtans cæleſtium deſiderium, & ardentiſſimam in magnam Angelorum Reginam, Dominam noſtram, Dei Matrem MARIAM, pietatem, ut te adjuvante eam ferventer diligendò in terris, pertingamus ad ejusdem tecum æternam fruitionem in cælis. Amen.

ALIA ORATIO
AD SANCTUM XAVERIUM.

SAnctiſſime Pater, Franciſce Xaveri, Indiarum glorioſiſſime Apoſtole, ac orbis thaumaturge. Gratulor tuam felicitatem ex animo, quâ poſt præclariſſima virtutum tuarum merita, jam Deo æternùm frueris; gratulor tibi ſtatuum omnium Patroni univerſalis gloriam, gratulor te eſſe qui es, eſſe magnum Xaverium, cujus cor, vas electionis; cujus lingua cæleſtis, cujus vita & mors animarum lucrum. Lucrare & hanc devotam tibi animam meam, tuam ego benigniſſimam, & inſatiabilem charitatem, magne Xaveri, per Immaculatam Conceptionem Matris MARIÆ imploro, impetra mihi ab infinita Dei bonitate, ut cùm appropinquaverit hora mortis meæ, cor meum ſe recolligat, & à mundo, omnibusq; creaturis avulſum, Divino cordi, & cæli deſiderio ſe uniat, & in amplexu Sanctiſſimæ Virginis

ginis MARIÆ, in vulneribus IESU benedicti Filij tui, ac in assistentia & præsentia tua, meorumq; SS. Patronorum, illud unum summè necessarium inquirat, benè mori & requiescere in pace. Interea verò, donec Deus vitam mihi conservare voluerit: rogo te, Protector mi amantissime, Pater, Patrone, Advocate, mi Xaveri, pedibus tuis supplex accido, rogoq; clementiam, benignitatem, charitatem efficacem omnibus, & gloriosissimam intercessionem tuam, commenda me IESU & MARIÆ, ad quos suspirans aspirâsti, & impetra mihi N. N. si sit ad Dei gloriam, & bonum animæ meæ, ut gloriari uterq; tu impetrando, ego fruendo, hîc & in æternum possimus.

Hîc accende in te fiduciam, in Xaverium, & verbis, quæ proprius cordis affectus ac pietas suggesserint, pete & commenda particulare beneficium. Mox, ut Sanctum Apostolum magis devincias, dic sequentem Orationem, quam ipse S. Xaverius composuit, & pro gentium conversione eam quotidie recitavit. Quæq; omnibus, volentibus petita à Deo consequi, commendatur. Si enim charitas in animas purgatorij, quæ certissimè Deum visuræ sunt tandem, tam est grata Deo, & nobis ad impetrandum quævis efficax & utilis; quantò charior erit Deo pietas & utilior nobis, quâ ex charitate animabus illis, quæ in certissimo damnationis periculo vivunt, pro quibus nec Congregationes Sodalium eriguntur (erigerentur utinam) precibus nostris, quas Deus unicè expectat, opitulamur. Hæc ergo est pro gentium conversione Oratio.

ÆTerne Deus, Creator rerum omnium, recordare, quòd ipse creaveris animas infidelium, faciendo illas ad imaginem & similitudinem tuam. Aspice Domine, quomodo, in opprobrium tuum, illis infernus impleatur. Recordare, Domine, Filij tui IESU Christi, qui tam liberaliter profuso sanguine suo pro illis tam acerbè passus est; nè permitte, Domine, ut proprius

prius filius tuus & Dominus noster diutiùs ab infidelibus contemnatur, sed potiùs placatus precibus & orationibus Sanctorum Electorum tuorum, & Ecclesiæ benedictæ Sponsæ proprij Filij tui; memineris misericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, & infidelitatis errantium, fac, ut & illi cognoscant, quem misisti IESUM Christum Filium tuum, Dominum nostrum, qui est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

F O R M A
Eligendi S. FRANCISCUM XAVERIUM in Patronum.

SAncte, & gloriose Indiarum Apostole, Francisce Xaveri, ego N.N. tuâ, quâ in omnes te invocantes benignus es, pietate invitatus, te hodie in Patronum & Advocatum eligo, & corpus meum, & animam meam, omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ, in finem tuæ charitatis commendo. Obsecro te igitur, suscipe me in clientem perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, ut eæ ad omne beneplacitum Dei dirigantur. A M E N.

A S P I R A T I O N E S
Sancto XAVERIO familiares.

MI IESU! dulcis IESU! bone IESU! mi Creator dulcissime, IESU Fili David miserere mei. Mater Dei memento mei. IESU, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.



O DUÆ



DUÆ ORATIONES
AD SANCTAM BARBARAM V. & M.

Sine Sacra Synaxi ex hac vita non discedendi.

SUpplico tibi, Sanctissima Virgo & Martyr Christi Barbara, ut subvenias mihi famulo tuo, in omnibus necessitatibus & angustiis meis: ad te enim suspiro, ad te enim oculos meos & cor meum dirigo; te mihi in advocatam eligo, tuæ protectioni animam & corpus meum committo: tu clementissima Virgo, esto mihi indigno famulo tuo, in tribulatione solatium, in omni perturbatione refugium; circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili, contra omnes inimicos meos visibiles & invisibiles, & contra omnia pericula corporis & animæ, & esto mihi auxiliatrix speciosissima apud misericordem Deum, ut non secundum merita mea sinat me puniri, sed per tuum interventum consequi merear tecum in cælestibus gaudere. Amen.

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunq; Sponsi tui viribus potes, mihi nunc & in mortis articulo, obsecro, ut suppedites; adjuva me miserum, nè in peccatis moriar: effectum tunc habeat tua intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cùm fidem ejus sanguine tuo consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo virgineus collo tuo exuberans sanguis, recordetur ardentissimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confessione expiatam, & SS. Eucharistiæ Sacramento refectam. Amen.



ORA-



ORATIO
AD S. JUDAM THADDÆUM,
In rebus humano auxilio desperatis Patronum.

SAncte Iuda, Christi cognate, Apostole & Martyr, qui fidem in Mesopothamia, Perside, ac vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminâsti, doctrinâ ac miraculis clarus innumerabiles filios Jesu Christo peperisti: allata ad Abagarum Regem Christi Imagine, cælestem simul lucem, in cubiculum Regium, & Regi sanitatem animi corporisq; attulisti; anima spem meam virtutibus, ut vivens & moriens vera spe plenus experiar in me, id verum esse, quod Rex Abagarus, illi Christi Imagini aureo charactere, in hunc sensum subscripsit: Spes illa nullum fallit, quam quis, Christe, in te ponit.

℣. Sancte Iuda ora pro me:
℟. Et omnibus qui volunt te.

ORATIO

O Gloriose Apostole, S. Iuda, per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, te deprecor, ut me miserum à consuetudine peccatorum meorum abstrahas, ab omnibus adversitatibus & pœnis, quas pro peccatis meis mereor, & à cogitationibus immundis me tuis meritis emundes; à periculis corporis & animæ, ab ira & odio, ab omni mala voluntate, à subitanea & improvisa morte liberes, foveas & protegas; in rebus desperatis tuo mihi adsis patrocinio; ac tandem ad invisibilem tuis precibus evehas gloriam, ubi Sancta Trinitas adoratur in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Amen.

℣. Sancte Iuda Patrone fidelissime,
℟. Placato nobis Deum clementiæ.

O R A T I O.

INtercede pro nobis, B. Iuda, Christi Apostole, Prædicator veritatis, atq; Martyr; tuisq; precibus obtine, ut Catholicæ fidei sinceritas, varijs peregrinis doctrinis extincta, reflorescat: & ego terminis Apostolicæ prædicationis, atq; traditionis innitens, ea, quæ vocationi meæ congruunt, sollicitè præstem; nihil autem Christi amore, & Ecclesiæ unitate, in omni vita antiquius ducam. Per eundem IESUM Christum Dominum nostrum. Amen.

O R A T I O
AD DIVUM JOANNEM NEPOMUCENUM,
Patronum de fama periclitantium.

OMnipotens, & misericors Deus, concede propitius, ut, qui in merita Divi Ioannis Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione, ex omni infamia & confusione publica, tàm temporali, quàm æternâ, hujus & alterius vitæ, & vel maximè ex imminenti tali N.N. per pijssimam misericordiam tuam eruamur. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui nos redemit per infamem mortem Crucis, & qui tecum gloriosus vivit & regnat, in unitate Spiritûs Sancti Deus Consolatoris, nunc & in æternùm. Amen.

A L I A O R A T I O.

OMisericordissime Deus, qui nobis omnibus, præsertim famâ periclitantibus Divum Ioannem Nepomucenum, Martyrem tuum, Patronum ac Defensorem singularem tribuisti, Majestatem tuam corde contrito & animo humiliato supplices exoramus, ut per ejus potentem interventum, ab omni, tam præsenti N.N. quàm futuro infamiæ periculo nos liberare & conservare digneris, quatenùs patrocinio ejus præventi, Nomen

San-

Sanctum tuum laudare, honorare, & prædicare valeamus, nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

O R A T I O

DEus cordis mei, sine cujus nutu, nec capillus quidem de capite nostro perit, te per gloriosa merita fidelis tui servi Ioannis Nepomuceni (qui de ponte Pragensi in Moldavam deiici & mergi maluit, quàm sacrosanctum Confessionis Sigillum Regi revelare) suppliciter oro, ut in hoc tibi noto honoris mei manifesto periculo, mihi pro benignitate tua subvenire, meq; ab omni confusione, ac infamia eruere digneris; nè gaudeant super me inimici mei: sic per preces S. Ioannis Nepomuceni spero, sic in tua misericordia confido, Deus, qui es benedictus in sæcula. Amen.

℣. Dive Ioannes Patrone fidelissime, ora pro me, & omnibus qui colunt te,

℟. Ut non confundamur in æternùm.

O R E M U S.

SAncte Ioannes Martyr & Patrone famâ periclitantium, Nepomuci in Bohemia oriunde, templi S. Viti in arce Pragensi Canonice, qui ante & post torturam Confessionem Augustæ propalare recusâsti: imò & in flumen Moldavam præcipitari prælegisti; atq; hîc sempiternam memoriam, secreti exomologeseos post te reliquisti. Per hæc tua, innumeraq; alia merita, obtestor te, atq; obsecro suppliciter ac fiducialiter, ut ira Dei, quam ego peccatis dehonorando irritavi, conquiescat, dedecus, infamia hominum, scandalum, acerba & ærumnosa vita, si ad animæ meæ salutem ita expediat, à me abscedat, ut vitam laudabiliter concludere, & tandem in album vitæ transscriptus, perenni fama felix Deo placere, & æternùm adhærere valeam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



O R A T I O
AD S. DISMAM LATRONEM POENITENTEM,
Agonizantium Patronum.

SAnctissime Dísma, testis innocentiæ Christi, & advocate, Martyr in sanguine tuo baptizate, qui mirâ Dei providentiâ ex latrone in eximium pœnitentiæ speculum evasisti; primitiæ Crucis Christi atq; credentium fuisti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparâsti, aspice de sublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miseriæ. Recordare, ô Sancte mirabilis, mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper quàm ad bonum, magis proclivis. Recordare, & pro nobis ad Deum appella, primogenite Filij Christi Crucifixi, ut noxium in Confessione pudorem abjicere, contritionem peccatorum habere, pusillanimitatem in agone, & desperationem evitare, languores & dolores similiter acceptare, & patienter ferre, Sacramentis omnibus morientium præmuniri, Sanctissima Jesu & Mariæ nomina, ore vel corde saltem invocare, ac tandem in actu fidei, spei, ac amoris Dei super omnia, in gratia denique finali exspirare, & tecum æternùm gaudere possimus. Amen.

O Dísma! Latro pœnitens, lectissime Patrone,
Sis mihi tutor moriens, dùm luctor in agone.
Dísma memor sis omnium, cum morte confligantium.

O R E M U S.

CLementissime Jesu, per tua vulnera, passionem & mortem, suppliciter te rogo, ut per merita & intercessionem S. Dísmæ, plenam mihi peccatorum meorum cognitionem largiri digneris, & mortis meæ tempore dæmonum confundas potentiam, nè mea mihi exprobrantes peccata, in pusillanimitatem, & desperationem me deturbare præsumant. Da mihi firmam

per

per amarissimæ passionis tuæ merita, spem, fidem, charitatem, injuriarum condonationem, omnium animi & corporis dolorum patientem tolerantiam, &c. ac tandem animæ meæ in manus tuas misericordes felicem resignationem. Amen.

RESPONSORIUM
S. BONAVENTURÆ, AD SANCTUM ANTONIUM.

Pro gratiis variis impetrandis, præsertim verò ad res perditas iterum inveniendas.

SI quæris miracula; mors, error, calamitas,
Dæmon, lepra fugiunt; ægri surgunt sani:
Cedunt mare, vincula; membra, resq; perditas
Petunt & accipiunt juvenes, & cani.
Pereunt pericula, cessat & necessitas:
Narrent hi, qui sentiunt; dicant Padvani.
Cedunt mare, vincula, membra, resq; perditas
Petunt & accipiunt juvenes & cani.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Cedunt mare, vincula, membra, resq; perditas
Petunt & accipiunt juvenes & cani.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni,
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

MItissime, ac clementissime JESU, qui Beatum Antonium Confessorem tuum, perpetuis illustras miraculorum splendoribus, concede propitius, ut, quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaciter consequamur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

ORA-



ORATIO.

Ad S. Patronum nominis & confirmationis.

O Gloriosissime Sancte N. qui in Confirmationis Sacramento; tuq; magne Sancte N. qui in Baptismo in Patronum mihi datus es, in te singularem auxilij spem colloco, dirige obsecro pedes meos in viam mandatorum Dei, in viam virtutis statui meo necessariæ; ut ad vitæ tuæ exemplar dignè vocatione mea ambulem: doce, rege, custodi, protege, guberna me in periculis, tùm animæ, tùm corporis; potissimùm verò in hac præsenti necessitate mea N. & in extremo mortis articulo, succurre, solare, muni, robora, & adjuva me; ut tecum, & cum omnibus Sanctis partem aliquam gloriæ æternæ obtinere merear in cælis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO.

Ad quemvis Sanctum.

AVe vernans flos cæli, & gloriosè civis Paradisi, Beate N. Gratias ago Domino Deo pro omnibus bonis, quæ in te contulit, sed cùm non sit decora laudatio per os peccatoris, tu Patrone mi dilectissime, ora pro me miserrimo peccatore, & plenam mihi impetra veniam delictorum, spiritum bonum, ac sanctam gratiam, ut Deo meo perfectè reconciliatus semper ei placeam, nec unquam in ejus amore deficiam: adesto mihi nunc & in hora mortis meæ, tunc me benignè consolare, conforta, & protege. Effice tuis meritis, ut anima mea, tota munda, hinc exeat, & ad vitam æternam perveniat.

Antiphona. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur, voluntas ejus permanet die ac nocte, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORA-

O R A T I O.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in B. N. (Apostoli, vel Martyris, vel Confessoris) tui solennitate deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit precibus adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O R A T I O
A D S. A P O L L O N I A M,
Contra dentium dolores Patronam.

VIrgo Dei egregia, pro nobis, Apollonia,
Funde preces ad Dominum, ut tollat omne noxium.
Nè pro reatu criminum morbo vexemur dentium,
Sed sanitate capitis jucundemur, & corporis.
℣. Specie tua & pulchritudine tua,
℟. Intende, prosperè procede, & regna.

O R E M U S.

DEus, pro cujus honore Beata Apollonia Virgo & Martyr horribilem dentium excussionem sustinuit, præsta quæsumus, ut, qui ejus memoriam pia devotione frequentant, à tetro dentium dolore, omniq; capitis affectione immunes, custodias, & post hujus vitæ ærumnas ad beatæ patriæ gaudia perducas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

O R A T I O
A D S A N C T U M D O N A T U M,
Contra aëreas tempestates Patronum.

MIsericors æterne Deus, in cujus manu elementa sunt, & omnes creaturæ, de quibus secundùm arbitrium beneplaciti tui disponis, te supplices deprecamur, ut aëreis potestatibus dissolutis, per intercessionem S. Donati Martyris tonitrua,

fulgura, omnesq; noxias tempeſtates, à nobis clementer avertere digneris: cæleſti benedictione nos, domos noſtras, agros, vineas, prata, & hortos, contra diabolicas nequitias tuere, ut à tonitru, fulgure, & fulmine, grandine, turbine, ac omnibus tempeſtatum periculis, per interceſſionem Sancti Donati Martyris liberati, in optata quiete & ſecuritate vivere, ac nomen Sanctum tuum laudare, & benedicere valeamus. Per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO
AD S. PAULUM APOSTOLUM,
Converſorum ad Deum Patronum.

O Beate Paule Apoſtole, Doctor gentium, deprecare pro me Deum omnipotentem, qui te de cælo vocans in terram proſtravit, de perſecutore fecit vas electionis, ut me in malo proſtratum, elevet in bonum; atq; tuo exemplo edoctus diſcã ſpernere terrena cũ omnibus vanitatibus, quæ toties hucusq; cor meum captivarunt, & inquirere veram lucem, qui Chriſtus eſt, ac invenire. Eripe me, protege me, à tentationibus carnis, & dæmonis, à ventura ira liberes, ac demum cælum introducas, atq; cum omnibus SS. Apoſtolis & Evangeliſtis, per gratiam Chriſti, quæ nunquam fuit in te vacua, venias in adjutorium mihi peccatori, & omnibus Chriſtianis. Amen.

ORATIO
AD S. BLASIUM EPISCOPUM & MARTYREM,
Contra gutturis morbos.

CLementiſſime JESU, qui fidelibus tuis ad curandos gutturis morbos, famulum tuum Beatum Blaſium Epiſcopum & Martyrem, Auxiliatorem eximium providere dignatus es, eiq; ſupplicanti promiſiſti ſalutarem, omnium ipſum invocantium, petitionis effectum. Reſpice propitius ad humilitatem noſtram,

&

& suffragantibus meritis ejus, qui pro te sanguinem fudit, omnia adversantia gutturi mala, ac pericula, à nobis propitius averte. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Si alicui spinula vel ossiculum in gutture hæreat, utile est patientis collum signo Crucis signare, his verbis: Blasius servus Dei dicit, aut ascende, aut descende: *probatum est.*

O R A T I O.
AD S. VALENTINVM PRESBYTERVM & MARTYREM.
Contra morbum caducum.

O Beate Valentine, magna est fides tua, intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum, ut qui qualitate tua sumus dissimiles, tua largiente gratia fac nos esse consortes, ô Pastor egregie & Martyr, exaudi nos clamantes ad te, vitia eradica, virtutes planta, fructus multiplica, ut per te hæreditemus cælestia.

℣. Ora pro nobis Beate Valentine,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R E M U S.

DEus, cujus charitatis ardore B. Valentinus Martyr minas Martyrij magnas contempto persecutore devicit: concede, ut, qui Martyrij ejus merita venerantur, protectionis tuæ auxilio, à morbo caduco, & à morte perpetua liberentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

O R A T I O
AD SANCTVM LIBORIVM EPISCOPVM,
Contra morbum calculi.

CHristi Præsul egregius,
Pro nobis hîc Liborius

Oret Deum altissimum,
Nè pro culpa peccaminum
Morbo vexemur calculi:
Succurrant nobis Angeli,
Et post vitæ certamina,
Ducant ad æterna gaudia.

℣. Ora pro nobis Beate Libori,
℟. Ut à calculi doloribus mereamur erui.

O R E M U S.

DEus, qui Beatum Liborium Pontificem, alijs innumeris clarum miraculis, speciali in medendis vesicæ & calculi doloribus privilegio decorâsti, tribue quæsumus, ut ejus meritis & intercessione ita ab ijs, & alijs malis eruamur, ut gaudijs perfrui mereamur æternis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ANTIPHONA & ORATIO AD BEATAM VIRGINEM,
Contra pestem.

STella cæli extirpavit, quæ lactavit Dominum, mortis pestem, quam plantavit primus parens hominum. Ipsa stella nunc dignetur sydera compescere, quorum bella plebem cedunt diro mortis ulcere. O pijssima Stella maris, à peste succurre nobis. Audi nos Domina, nam Filius tuus nihil negans te honorat. Salva nos JEsu pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORE-

O R E M U S.

DEus misericordiæ, Deus pietatis, Deus clementiæ, qui miseratus est super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum (contine manum tuam) ob amorem illius Stellæ gloriosæ, cujus ubera pretiosa contra venenum delictorum nostrorum quàm dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peste, & improvisa morte securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer salvemur. Per te JESU Christe, Rex gloriæ, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

O R A T I O
AD SANCTVM SEBASTIANVM.
Contra pestem.

O Magnæ fidei Sanctissime Sebastiane, miles beatissime, cujus meritis & precibus tota Patria Lombardiæ à mortifera peste fuit liberata, intercede pro nobis ad Dominum nostrum JESUM Christum, ut nos, tuo beato interventu, ab ipsa peste Epidemiæ, ab improvisa morte, & ab omni adversitate corporis & animæ liberare & defendere dignetur, donecq; nobis tantum vitæ spatium, & tantam emendationem peccatorum nostrorum, ut post hoc exilium sacris tuis precibus cum Christo collætemur.

℣. Ora pro nobis Beate Martyr Sebastiane.

℟. Vt mereamur pestem Epidemiæ illæsi pertransire, & promissionem Christi obtinere.

O R E M U S.

PRæsta quæsumus, Omnipotens Deus, ut intercedente Beato Sebastiano Martyre tuo, & à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.

DEus, qui concedis S. Martyris tui Sebaſtiani memoriam ſolenniter celebrare, da nobis pariter in æterna beatitudine de ejusdem ſocietate gaudere, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

O R A T I O
AD SANCTVM ROCHVM CONFESSOREM.

O Quàm magnificum eſt nomen tuum, Beate Roche, qui tuis interceſſionibus multitudinem languentium nôſti ſalvare, & omnibus ſalutare tuum glorioſum commemorantibus te propitium exhibere. Veni & ſana nos à morbo Epidemiæ, aërisq; temperiem nobis concede.

℣. Ora pro nobis Sancte Roche,
℟. Vt mereamur præſervari à peſte Epidemiæ.

O R E M U S.

DEus, qui per B. Rochum ſingulare nobis contra peſtem potentis tuæ dexteræ præſidium promiſiſti, præſta quæſumus, ut, qui ejus memoriam pia devotione recolimus, ejus quoq; intercedentibus meritis ab omni tum animæ, tum corporis mortifera lue, præſervemur. Per Dominum noſtrum, &c.

O R A T I O
AD SANCTAM ROSALIAM.
In peſte Patronam.

DEus, qui corpus famulæ tuæ B. Roſaliæ Virginis, poſt tot ſæcula, intra montes inventum, contra ſævientem peſtilentiam ſacrum amuletum fidelibus tuis eſſe voluiſti, præſta quæſumus, ut, qui ejus memoriam colimus, & Patronam invocamus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omnibus periculis præſentibus, & à malo peſtilentiæ liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORATIO
AD OMNES SANCTOS.

O Angeli Sancti, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes cælorum, Cherubim atque Seraphim, Patriarchæ & Prophetæ, Sanctis Legis Doctores, humillimi Confessores, heroici Jesu Christi Martyres, zelantissimi gloriæ Dei Apostoli, purissimæ Virgines, Conjuges, Viduæ continentes, & omnes animæ, quæ Deo placuistis cum gloriosissima Regina Sanctorum omnium Mariæ, adjuvate me, protegite me, vota & desideria mea dirigite, subvenite, ut salvus perveniam ad portum, ad quem vos pervenistis.

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi,

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

HYMNUS
DE BEATISSIMA VIRGINE MARIA.

Mirè devotus: quem Sanctus Casimirus Princeps, Filius Casimiri Iagellonis Poloniæ Regis, & Elisabethæ Austriacæ, Filiæ Alberti Cæsaris; Vilnæ, Anno Domini 1489. 4. Martij defunctus, & à Leone X. P. M. in Sanctorum Catalogum relatus; & composuit ipse, & quotidie recitare solitus fuit, tantaq; devotione coluit, ut etiam sepeliri secum voluerit: prout Anno 1614, quando Sancti illius sepulchrum renovabatur, sub ejus dextro capitis tempore repertus fuit intactus, in signum acceptæ Deo & Deiparæ pietatis.

PARS

PARS PRIMA.

OMni die dic MARIÆ
Mea laudes anima,
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima.
Contemplare, & mirare,
Ejus celsitudinem,
Dic felicem Genitricem,
Dic Beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole
Te criminum liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.
Hæc persona nobis dona
Contulit cælestia,
Hæc Regina nos divinâ
Illustravit gratiâ.
Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ
Mundi laudum cantica,
Ejus bona semper sona,
Semper illa prædica.
Omnes mei sensus ei
Personate gloriam;
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè tam disertæ
Extat eloquentiæ,

Qui condignos promat hymnos
    Ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent,
    Matrem Dei Virginem:
Nullus fingat, quòd attingat
    Ejus celsitudinem.
Sed necesse (quod prodesse
    Pijs constat mentibus)
Vt intendam, quòd impendam
    Me ipsius laudibus.
Quamvis sciam, quòd MARIAM
    Nemo dignè prædicet;
Tamen vanus, & insanus
    Est, qui illam reticet,
Cujus vita erudita,
    Disciplina cælica,
Argumenta, & figmenta
    Destruxit hæretica.
Hujus mores, tanquam flores,
    Exornant Ecclesiam.
Actiones, & sermones
    Miram præstant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
    Paradisi clauserat.
Hæc dum credit, & obedit,
    Cæli claustra reserat.
Propter Evam homo sævam
    Accepit sententiam:
Per MARIAM habet viam,
    Quæ ducit ad patriam.

Hæc amanda, & laudanda,
Cunctis specialiter;
Venerari, prædicari,
Eam decet jugiter;
Ipsa donet, ut quod monet,
Natus ejus faciam.
Vt finitâ carnis vitâ
Lætus hunc aspiciam.

PARS SECUNDA.

O Cunctarum fœminarum
Decus, atque gloria!
Quam electam, & evectam
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuæ laudi
Quos instantes conspicis.
Munda reos, & fac eos
Donis dignos cælicis.
Virga Jesse spes oppressæ
Mentis, & refugium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini sacrarium,
Vitæ forma, morum norma;
Plenitudo gratiæ:
Dei templum, & exemplum
Totius justitiæ.
Virgo salve, per quam valvæ
Cæli patent miseris:
Quam non flexit, nec allexit,
Fraus serpentis veteris.

Generoſa & formoſa
David regis filia,
Quam elegit Rex, qui regit,
Et creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens,
Caſtitatis lilium:
Caſtum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium.
Actionis, & ſermonis,
Facultatem tribue:
Vt tuorum meritorum
Laudes promam ſtrenuè.
Opto nimis, ut inprimis
Des mihi memoriam,
Vt decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta, & polluta,
Mea ſciam labia:
Præſumendum, nec ſilendum
Eſt, de tua gloria.
Virgo gaude, omni laude
Digna, & præconio.
Quæ damnatis libertatis
Facta es occaſio.
Semper munda, & fæcunda,
Virgo tu puerpera:
Mater alma, velut palma
Florens, & fructifera.
Ejus flore, & odore
Recreari cupimus,

Cujus fructu nos à luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota, ſine nota
Cujuscunque maculæ:
Fac nos mundos, & jucundos
Te laudare ſedulè.
O beata, per quam data
Nova mundo gaudia;
Et aperta, fide certâ,
Regna ſunt cæleſtia.
Per te mundus lætabundus
Novo fulget lumine;
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes ſunt egentes,
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia:
Doctrinarum perverſarum
Pulſa ſunt præſtigia.
Mundi luxus, atque fluxus,
Docuiſti ſpernere;
DEUM quæri, carnem teri,
Vitijs reſiſtere;
Mentis curſum tendi ſurſum,
Pietatis ſtudio:
Corpus angi, motus frangi,
Pro cæleſti præmio.
Tu portâſti, inter caſti
Ventris clauſtra Dominum

Re-

Redemptorem, ad honorem
Nos reformans priſtinum.
Mater facta, ſed intacta,
Genuiſti Filium;
Regem Regum, atque rerum,
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Mortis eſt verſutia:
Deſtitutis ſpe ſalutis,
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus;
Cujus Mater crederis,
Qui creatus ex te natus;
Noſtri ſalus generis.

PARS TERTIA.

REparatrix, Conſolatrix,
Deſperantis animæ:
A preſſura, quæ ventura
Malis eſt, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiternâ perfruar;
Ne tormentis comburentis
Stagni miſer obruar.
Quod requiro, quod ſuſpiro,
Mea ſana vulnera:
Et da menti te poſcenti
Gratiarum munera.
Ut ſim caſtus, & modeſtus,
Dulcis, blandus, ſobrius:
Pius, rectus, circumſpectus,
Simultatis neſcius.
Eruditus, & munitus,
Divinis eloquijs,

Timoratus, & ornatus
Sacris exercitijs.
Conſtans, gravis, & ſuavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, & maturus,
Patiens, & humilis.
Corde prudens, ore ſtudens
Veritatem dicere:
Malum nolens, Deum colens
Pio ſemper opere.
Eſto tutrix, & adjutrix,
Chriſtiani populi:
Pacem præſta, ne moleſta
Nos perturbent ſæculi.
Salutaris ſtella maris,
Summis digna laudibus:
Quæ præcellis cunctis ſtellis,
Atque luminaribus.
Tuâ dulci prece fulci
Supplices, & refove:
Quicquid gravat, & depravat
Mentes noſtras, remove.
Virgo gaude, quòd de fraude
Dæmonum nos liberas,
Dum in vera, & ſincera
DEUM carne generas.
Illibata, & dotata
Cæleſti progenie;
Gravidata, nec privata
Flore pudicitiæ.
Nam quod eras, perſeveras,
Dum intacta generas:
Illum tractans, atque lactans,
Per quem facta fueras.

Com-

Commendare me dignare
Christo tuo Filio.
Ut non cadam, sed evadam,
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen,
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget,
Sæculi cupiditas;
Quæ indurat, & obscurat,
Mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira,
Me vincat elatio,
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum
Suâ servet gratiâ,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen, & juvamen
Tuum illis jugiter;
Tua festa, sive gesta,
Qui colunt alacriter.

I. ORATIO.

O Præclarum vas Spiritus S.! ô gloriosa Civitas Dei! ô Mulier virtutis, quæ contrivisti caput serpentis! ô Sole speciosior, pulchrior Lunâ, stellis præclarior, Virgo Maria! te peccatores adimus, rea pectora tundimus, dicentes Sancta, Sancta, & semper immaculata Maria, clemens, & pia Domina nostra, nos à subitanea & mala morte, & ab omni tribulatione liberatos fac consortes cælestis gloriæ. A.

II.

II.

MAter digna Dei, vera lux diei, sis tutela rei, duxque comesq; mei, Sponsa Dei, miserere mei; lux anima Dei, digna coli Regina poli, me linquere noli, nixa Deum defende reum, mihi dando trophæum, me tibi Virgo pia Genitrix commendo Maria.

III.

AVe Sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cæli, Porta Paradisi, Domina mundi. Tu es singularis Virgo pura, tu concepta sine peccato, concepisti Jesum sine macula, & peperisti Creatorem & Salvatorem mundi, in quo ego non dubito. Ora pro me Jesum dilectum Filium tuum, & libera me ab omnibus malis. Amen.

IV.

Commendatio sub protectione & custodia Beatæ V. M.

SPes animæ meæ post Deum, Virgo Maria, illa commendatione & illa fide, quâ te dilectus Filius tuus Dominus noster Jesus Christus prælecto Discipulo suo Joanni commendavit, commendo tibi hodie & quotidie corp' meum, animam meam, honorem meum, & horam exitus animæ meæ è corpore, & omnes actus meos; ac precor te, ut serves me à peccatis, à scandalis, ab omni confusione humana, ab ira judicij tremendi, ab immundis cogitationibus, ab omni mortali peccato, à subitanea & improvisa morte, ab omnibus periculis animæ & corporis, honoris & rerum mearum, nec unquam me tale permittas facere peccatum, quo gratiam tuam amittam, impetra mihi de præteritis emendationem, de præsentibus custodiam, & de futuris cautelam. Da mihi in hac vita promptum adjutorium, esto mihi in tremendo judicio prælocutrix apud Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum. A.

V.

O Domina gloriæ! ô Regina lætitiæ! ô fons pietatis! ô Vena misericordiæ! ô Sanctitatis libertas! ô jucunditatis amænitas! ô splendor cæli! ô dulcedo Paradisi! ô Domina Angelorum! ô Sanctorum lætitia! ô Virginum gemma! ô felix & beata! tibi Domina mea, Virgo MARIA, hodie commendo totum corpus & animam meam, & totam vitam meam, quinque sensus corporis mei, omnia facta mea, mortem meam, cùm sis benedicta in æternùm, & ultra cum Filio tuo Domino nostro JESU Christo. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat &c.

SALUTATIONES & ORATIONES

Ad Beatißimam Virginem Matrem Dei MARIAM, ex Sanctis Patribus.

I.

Sancti Iacobi Apostoli in Liturgia.

DIgnum est, ut te verè beatam dicam Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione, DEUM verum peperisti, te re verâ Deiparam magnificamus.

II.

Sancti Augustini Ecclesiæ Doctoris.

O Beata MARIA! quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat? quæ solo tuo commercio recuperandi cæli aditum invenit. Accipe itaq; quascunq; exiles, quascunq; meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa; admit-

te nostras preces inter sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis: sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa, quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove debiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam Sanctam commemorationem: assiste parata votis poscentium, & repende omnibus optatum effectum, sint tibi studia assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

III.

Sancti Ephram Syri.

O Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei Sponsa, Domina nostra, unica spes desperatorum, oppressorum subsidium, ad te currentium auxilium præsentissimum, omnium deniq; Christianorum perfugium, meam iniquitatē, indignisq; labijs expressam orationem admitte, nec non tuum quidem Filium, meum autem Herum & Deum, materna tua liberalitate volens exora, ut mihi quoq; mitissima illa suæ pietatis viscera reseret, & posthabitis innumerabilibus peccatis ad pœnitentiam me convertat, probeq; sua complere mandata concedat. Adsis mihi semper Virgo misericors, clemens & benigna, in præsenti quidem vita serviens, protectrix & auxiliatrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam animam conservans, & tenebrosos malorum dæmonum adspectus, ab ea procul abigens, in terribili autem die judicij ab æterna damnatione me li-

be-

berans, postremò inaccessæ Filij tui & Dei gloriæ me heredem efficiens, quam per intercessionem, favoremq; tuum Domina Sāctissima Dei Mater, te etiā atq; etiā oro, assequi valeam gratiâ, miseratione & humanitate unigeniti tui Filij Domini nostri JESU Christi, cui convenit omnis gloria, honor, & veneratio cum æterno ejus Patre & Sanctissimo optimoq; vitæ auctore Spiritu nunc & semper in sæcula sæculorum. Amen.

IV.

Sancti Bernardi Doctoris melliflui.

PEr te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis, excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati: copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum; & fæcunditas gloriosa fæcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos recommenda, tuo Filio nos repræsenta; fac ô benedicta per gratiam, quam invenisti; per prærogativam, quam meruisti; per misericordiam, quam peperisti; ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ, JESUS Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. A.

V.

Sancti Ioannis Chrysostomi.

AVe Mater, Cælum, Puella, Virgo, Thronus, Ecclesiæ nostræ Decus, gloria & firmamentum, assiduè pro nobis precare JESUM Filium tuum & Dominum nostrum, ut per te misericordiam invenire in die judicij, & quæ reposita sunt ijs, qui diligunt DEUM, bona consequi possimus, gratiâ

& benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul & Sancto Spiritui, gloria & honor, & imperium, nunc, & semper, in sæcula sæculorum. Amen.

VI.

Sancti Ioannis Damasceni.

MAter casta, sola digna Creatore, cælum vivum, ex quo sol justitiæ exortus est, concha maris mundi quæ cælitus fulget radijs divinitatis, in utero concepisti, & peperisti ingentis pretij Margaritam Christum. ô Joachim & Annæ Filia! Angelis superior, & Angelis dominans! ô Filia pulcherrima, & dulcissima! ô Lilium inter spinas ex nobilissima, & maximè Regia radice Davidica exortum! ô Rosa ex spinis Judæorum germinans, ac divinâ fragrantiâ cuncta replens! ô Filia Adami, ac Mater Dei! ô Filia Sanctissima Joachim & Annæ! quæ contrivisti Principatus & Potestates, atque ignea tela nequissimi; quæ in thalamo Spiritus conversata es, atque conversa immaculata in Sponsam Dei, ô Filia Sanctissima! formidabilis rebellibus potestatibus! ô Filia Deo amabilis, Parentum decus, te omnes generationes beatam prædicant, ut dixisti vera loquens! ô Filia Deo digna, venustas humanæ naturæ, primæ Matris Evæ correctio: etenim per tuum partum, quæ lapsa fuerat, erecta est. ô Filia Sanctissima, mulierum ornamentum! ô Filia semper Virgo dignior omni creatura! Ex te enim sola summus ille Opifex assumpsit Massæ nostræ primitias, Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguinibus tuis, & lac mamillarum tuarum suxit Deus, ac labijs tuis Dei labia basiasti! O incomprehensibilia & ineffabilia miracula, te prænoscens rerum omnium Deus dignam amavit, amatam prædestinavit; atque novissimis temporibus in mundum produxit, ac Deiparam Matrem, ac Nutritiam sui Filij, & Verbi ostendit. O fæmina desiderabilis, ter beata, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui! ô fæmina, Filia Re-

gis

gis David! ô Mater omnium Regis Dei! ô dignum & animatum simulacrum, tota spiritus thalamus es, & gratiarum pelagus. Tota pulchra, tota proxima Deo, ipsa enim supergressa Cherubinos, & supra Seraphinos evecta, Deo es propinqua. O Virgo Deo grata! Templum Dei Sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon spiritualiter construens inhabitavit, Dei Mater, miraculorum abyssus, fons universo orbi salutaris. Saluto te MARIA dulcissima, Annæ Filia, dignum Deo habitaculum, meritò te omnes generationes beatam prædicant, ut electam humani generis dignitatem. Tu Sacerdotum gloria, Christianorum spes, Virginitatis feracissima planta, per te enim frondes Virginitatis latissimè diffunduntur, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Qui confitentur te Deiparam, benedicti sint, & qui inficiantur maledicti. O Joachim & Annæ Filia! accipe orationem peccatoris, ardenter tamen te amantis & colentis, te solam spem gaudij possidentis, vitæ præsidem, & cum tuo Filio reconciliatricem, firmumq; arrabonem salutis, peccatorum sarcinam discute, & quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa; tentationes comprime, sanctèq; vitam meam guberna, & ad supernam manudue beatitudinem, largire pacem mundo, & omnibus hujus urbis orthodoxis incolis perfectam lætitiam, ac salutem sempiternam, fiat, fiat. Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS Christus, Dei Filius. Ipsi gloria cum Patre, & Spiritu S. in sæcula sæculorum. Am.

VII. *Ejusdem.*

O Domina! Domina, atq; iterùm dicam Domina, Dei Genitrix & Virgo, animas nostras ad spem tuam non secus atq; ad firmissimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicamus ac consecramus Psalmis & Hymnis spiritualibus, quantum

possumus honorantes: etenim si ut sacrosanctus Sermo nos edocuit, honor is, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum erit? An non illud vel necessario spiritui præferemus, ac vel etiam ipsi vitæ anteponemus, hac enim ratione, nostram erga Dominum benevolentiam luculentiùs ostendemus. Quid autem ad Dominum dico? sufficit certè ijs, qui tui memoriam piè usurpant pretiosissimum memoriæ tuæ donum, quippe quæ ejusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere possit. Quanam enim voluptate, quibus bonis non implentur, qui mentem suam sanctissimæ memoriæ promptuarium, effecit. Habe gratitudinis ergò sermonum, ac pauperis animi nostri libamina, qui amore tuo incitatus imbecillitatis suæ oblivione captus est. At tu cupiditatem benigno animo accipe, illud scilicet exploratum habens, eam viribus nostris superiorem esse. Tu verò bona Domina, boniq; Verbi Parens, utinam nos inspicias, ac res nostras arbitrio tuo regas, & modereris, fœdissimarumq; nostrarum affectionum impetum comprimas, fluctusq; compescas, atq; ad tranquillum divinæ voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine dones, illa inquam suavi & perspicua illuminatione Dei Verbi ex te incarnati, cum quo Patri gloria, honor & imperium, Majestas & Magnificentia cum Sanctissimo & bono ac vivifico Spiritu, in sæcula sæculorum. A.

VIII.

Sancti Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis.

O MARIA! tu illa magna & valde magna MARIA! te Domina, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Enitimini viscera animæ meæ, enitimini quantum potestis, sed quid potestis interio-

ra mea, ut ejus celsitudinem admiremini, cujus patrocinio indigetis, quotidie indigendo desideratis, desiderando imploratis, implorando impetratis, etsi non secundùm desiderium vestrum, tamen supra vel citra certè meritum vestrum. Regina Angelorum, Domina mundi, Mater ejus, qui mundat mundum, confiteor, quia cor meum nimis est immundum, ut meritò erubescat in tam mundam intendere, nec dignè possit tam mundam intueri. Te igitur Mater illuminationis cordis mei, Genitrix salutis mentis meæ, te obsecrant quantum possunt cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adesto propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ, ut accendatur tepor meus. O magna! & valde magna Domina MARIA.

IX.

Sancti Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.

O Domina mea, atq; Dominatrix mea, dominans mihi Mater Domini mei, Ancilla Filij tui, Genitrix Factoris mundi, te rogo, te oro, te quæso, habeam spiritum Domini tui, habeam spiritum Filij tui, habeam spiritum Redemptoris mei, ut de te vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quæcunque dicenda sunt dicam. Ecce beatam te dicunt omnes generationes, beatam te noverunt omnes cælestes virtutes, beatam prædicant omnes vates, beatam celebrant omnes nationes. Beata tu fidei meæ, beata tu animæ meæ, beata dilectioni meæ, beata præconijs & prædicationibus meis. Prædicem te, donec prædicanda es; diligam te, donec diligenda es; laudem te, donec laudabilis es; serviam tibi, donec serviendum est gloriæ tuæ.

X.

S. Cosmæ Hierosolimitani Hymnus in primam diem Hebdomadæ Sanctæ.

INvituperabilem Deipara spem tuam habens, salvabor defensionem tuam possidens. O immaculata! non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam solam habens, ut thoracem protectionem tuam & omnipotens auxilium tuum, & deprecor clamans ad te Domina, salva me intercessionibus tuis, & eleva me è tenebroso somno ad tuam glorificationem potentiâ ex te incarnati Dei: gloriosa semper Virgo Mater Christi, adduc nostram deprecationem Filio tuo & Deo, ut salvet per te animas nostras, misericordiæ januam aperi nobis benedicta Deipara, sperantes igitur in te ne aberremus, liberemur per te à calamitatibus, tu enim es salus generis hominum, multæ sunt multitudines meorum, Deipara, peccatorum, ad te confugio Sancta Virgo salutis indigens, visita ægrotantem meam animam, & pete à Filio tuo & Deo nostro dari mihi remissionem, quæ feci malorum; sola Sancta, sola benedicta, omnem spem meam in te repono, Mater luminis custodi me sub protectione tua. Amen.

PII AFFECTUS

AD SANCTOS ANGELOS CUSTODES.

AD MATUTINUM.

SAncti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen, Alleluja.

A Septuagesima usq; ad Pascha loco Alleluja, *dicitur* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

H Y M N U S.

ADeste Sancti cælites,
Et à quiete noxia
Mersos sopore tollite,
Deo propinquos jungite.
Per vos Beati præpetes,
Phantasma noctis decidat.
Quidquid tenebris horridum,
Nox intulit culpæ cadat.
Uni Deo sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestraq; de præsentia,
Nobis sit exultatio.

ANTIPHONA.

Reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, sicut virum, qui suscitatur à somno suo.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus,

℟. Adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor Nomini tuo.

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es Sanctorum gloria Angelorum, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut per illos semper, & ubiq; opportunum tuæ ineffabilis providentiæ auxilium sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

A D L A U D E S.

Sancti Angeli Custodes nostri &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

ORbis patrator optime,
Quidquid est, potentiâ,
Magnâ creâsti, nec regis
Minore providentiâ.
Adesto supplicantium
Tibi reorum cætui,
Lucisq; sub crepusculum
Lucem novam da mentibus,
Tuusq; nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hîc adsit, à contagio
Hîc criminum nos protegat:
Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus:
Pacem procuret civium
Fugetque pestilentiam.
Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et Sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. A.

ANTIPHONA.

Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim & Seraphim, Sanctum, Sanctum proclamant.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini,

℟. De manu Angeli.

OREMUS.

MAgnificet te Domine, Sanctorum Angelorum tuorum beata felicitas, quia & illis gloriam sempiternam, & illorum nobis opem ineffabili providentia contulisti. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

Sancti Angeli Custodes nostri &c. *ut supra.*

Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

O Gloriosi Principes,
Cæli triumphales duces,
Simul creati cum nova
Nascentis orbis machina;
Vos invocamus supplices,
Terris famem depellite.
Sint bella longè, sit lues:
Sint prosperi vitæ dies.
Uni Deo sit gloria,
Decora sit laudatio;
Vestraq; de præsentia,
Nobis sit exultatio.

ANTIPHONA.

In conspectu gentium nolite timere, vos enim in cordibus vestris adorate & timete Deum, Angelus enim vobiscum ejus est.

℣. Stetit Angelus juxta aram Templi,
℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

OREMUS.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos Angelicâ custodiâ munire dignatus es, concede quæsumus, ut tanta protectione securi, & à pravis cogitationibus liberemur in mente, & ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore. Per Dominum nostrum, &c.

AD TERTIAM.

Sancti Angeli Custodes nostri, &c. *ut supra.*
Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

HUc ô beati Spiritus,
Adeste nobis cælitus,

Et nos voluta perpeti,
Inferte Cæli ſedibus
Ut mox levati vinculis,
Graviq; mole corporis,
Migremus ad vos illico
Choro locati cælico.
Uni Deo ſit gloria,
Decora ſit laudatio.
Veſtraq; de præſentia,
Nobis ſit exultatio.

ANTIPHONA.

Vivit Dominus, quia cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem.

℣. Dominus ſit in itinere noſtro,

℟. Angelus ejus comitetur nobiſcum.

OREMUS.

PRæſta nobis quæſumus Domine auxilium gratiæ tuæ, ut Sanctorum Angelorum cultui convenienter intenti liberemur ab hoſtibus mentis & corporis. Per Dominum noſtrum, &c.

AD SEXTAM.

Sancti Angeli Cuſtodes noſtri, &c. *ut ſupra.*
Deus in adjutorium meum intende, &c. *utt ſupra.*

HYMNUS.

CIves ſupernæ curiæ,
Noſtræ ſalutis vindices,
Cæleſtis aulæ Nuntij,
Regis ſuperni milites,
Intra tonantis Regiam
Horas agentes pſallite.
Et nos ab orci faucibus,
Manu potenti tollite.

Uni Deo sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestrâq; de præsentia,
Nobis sit exultatio.

ANTIPHONA.

Omnes sunt Administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

℣. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus,

℟. Potentes virtute facientes verbum illius.

OREMUS.

DEus, omnium fidelium Pastor & rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice, & Sanctorum Angelorum Patrocinio confidentem, una cum Antistite nostro, & omnibus Angelicæ Congregationis, Fratribus, Protectoribus, & benefactoribus, perpetua defensione conserva. Per Dominum nostrum, &c.

AD NONAM.

Sancti Angeli Custodes nostri, &c. *ut supra.*
Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

O Principes altissimi,
Dei fideles nuncij,
Ad vos gementes tollimus
Manus, precesq; fundimus.
Ita satis nunc percitum
Nobis tonantem flectite
Sævire pœnis debitis
Nec in reos permittite.
Uni Deo sit gloria,
Decora sit laudatio,
Vestraq; de præsentia,
Nobis sit exultatio.

ANTIPHONA.

O Dominator Cælorum! mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachij tui, ut metuant, qui cum blaſphemia veniunt adverſum ſanctum populum tuum.

℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.
℟. Et eripiet eos.

OREMUS.

ILluſtra, miſericors Deus divinâ gloriâ tuâ, Regem noſtrum Reginam, & prolem regiam, ejusq; exercitum, eum cuſtodiâ & tutelâ Angelorum circumda, ut omni gentium & hæreticorum feritate depreſſa, inceſſabili te gratiarum actione laudemus. Per Dominum noſtrum, &c.

AD VESPERAS.

Sancti Angeli Cuſtodes noſtri, &c. *ut ſupra.*
Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut ſupra.*

HYMNUS.

CUſtodes hominum, pſallimus Angelos
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cæleſtis Comites inſidiantibus
Ne ſuccumberent hoſtibus.
Nam quod corruerit proditor Angelus
Conceſſis meritò pulſus honoribus.
Ardens invidiâ pellere nititur
Quos cælo Deus advocat.
Huc Cuſtos igitur pervigil advola,
Avertens Patria de tibi credita
Tam morbos animi, quàm requieſcere
Quidquid non ſinit incolas.
Sanctæ ſit triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia regnat gloria ſæcula, Amen.

AN-

ANTIPHONA.

Sancti Angeli Custodes nostri defendite nos in prælio ut non pereamus in tremendo judicio.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te,

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

OREMUS.

DEus, qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris, largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Sancti Angeli Custodes nostri, &c. *ut supra.*

Converte nos Deus Salutaris noster,

Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

TE lucis ante terminum
Rerum Creator poscimus
Ut nos quiescentes tuus
Hac nocte servet Angelus.
Per hunc recedant somnia,
Et noctium Phantasmata.
Hic supplicum victus prece
Noctis fuget pericula.
Præsta beata Trinitas,
Concede simplex unitas.
Ut pervigil sit pro tuis
Missus minister servulis.

ANTIPHONA.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes Cælorum, Cherubim atq; Seraphim, intercedite pro nobis, ut vigilemus cum Cristo, & requiescamus in pace. Amen.

℣. Scu-

℣. Scuto circumdabit te veritas ejus,

℟. Non timebis a timore nocturno.

O R E M U S.

VIsita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle. Angeli tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio sit tua super nos semper. Per Dominum nostrum, &c.

O R A T I O.

OMnes Sancti Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes, Cherubim & Seraphim, omnia agmina Beatorum Spirituum fundite pro nobis preces ad Dominum, ut nos liberet à peccatorum vinculis, & illustrare dignetur virtutum studijs, & defendat ab adversitatibus cunctis, & postremò jungat nos vestris sanctis consortijs. Amen.

PII AFFECTUS
AD S. JOSEPH SPONSUM B. V. MARIÆ.
AD MATUTINUM.

Jesus Maria Joseph.

DOmine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja.

A Septuagesima usq; ad Pascha, loco Alleluja, *dicitur* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

H Y M N U S.

JOseph David Filius clara stirpe natus,
Jesu Christi Domini Pater nuncupatus.

De-

Desponsatus Virgini mente copulatus,
Utriusque Custos Cælo destinatus.

ANTIPHONA.

Salve Patriarcharum Decus, & Ecclesiæ S. Dei Oeconome, cui panem vitæ & frumentum electorum conservâsti.

℣. Ora pro nobis Sancte Joseph,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

HYMNUS.

TU qui Sponsam gravidam dolens cum videres,
Cogitabas an eam posthac retineres,
Sed cælestis monitor nè tantum timeres,
In somnis admonuit, ut magis gauderes.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD TERTIAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

BEthleem profectus censum soluturus
Cum prægnante Virgine; ubi nasciturus

Erat mundi Dominus, quiq; mox facturus,
Ut ipsum infantulum esses amplexurus.

Antphona, Versus & Oratio, ut supra.

AD SEXTAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

CUm atrox in pueros Herodes sæviret,
Gabrielis monitu amplius ne dormiret,
Retulisti Sponsæ, ut tecum veniret,
Et accepto parvulo in Ægyptum iret.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD NONAM.

JESUS MARIA JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

HOstibus jam defunctis inde recessisti,
Atque in Gallilæam tecum reduxisti
Puerum, & MARIAM, sicut didicisti
Cælitus, & Nazareth humilis vixisti.

Antiphona, Versus & Oratio, ut supra.

AD VESPERAS.

JESUS MARIA JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

TU Jesum duodecim jam factum annorum
Perdidisti, tuorum lumen oculorum,
Sed posthac in medio inventum Doctorum,
Custodisti sedulus Regem Angelorum.

Antiphona, Versus & Oratio, ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Jesus Maria Joseph.

℣. Converte nos Deus Salutaris noster,
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HYMNUS.

FElix, quem in ulnis Jesus cum Maria
Tenuit cubantem, dùm in agonia
Spiritum efflares, ut directa via,
Tenderes ad Patres, functus vitâ piâ.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas cum attentione
Dixi, beate Joseph, tui ratione,
Nè mei sis immemor in oratione,
Ut vivamus in cæli simul regione. Amen.





PII AFFECTUS
AD SANCTUM CASIMIRUM,
Principem & Patronum Regni Poloniæ.

AD MATUTINUM.

℣. BEnedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

AVe stirps Regum, gemma nitens morum,
Hortule Christi plene liliorum,
Flos & lux nostra prodigijs mirê,
Tuere tuos dive Casimire.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

ANTIPHONA.

Quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ. Ecclesiastici 50.

℣. Justus germinabit sicut lilium,
℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

OREMUS.

DEus, qui inter regales delicias, & mundi illecebras S. Casimirum Confessorem tuum virtute constantiæ roborâsti, quæsumus, ut ejus intercessione fideles tui terrena despiciant, & ad cælestia semper adspirent. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

HYMNUS.

Plus æternæ cultor deitatis,
A luce prima teneræ ætatis
Tu magnæ Matri supplex omni die;
Fac & me laudes cantare MARIÆ.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD TERTIAM.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

Aulæ procellas & flammas juventæ,
Intaminata premens fortis mente,
Crucis amator & cultor decori,
Priusquam labi: fac me tecum mori.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD SEXTAM.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

PRonus cum summum Numen precabaris,
Tota in Deum mente ferebaris,
Immemor ubi satur pietate,
Fac & nos pasci illa suavitate.

Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD NONAM.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

ROsea cernens signa charitatis,
Vulnera Christi fontem sanctitatis,
Ibas in Christi Crucifixi plagas,
Tecum duc nostras dive mentes vagas.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD VESPERAS.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

HYMNUS.

SChismatis osor, fautor deitatis,
Honorum Spretor, Victor voluptatis,
Pauperum Pater, tutor viduarum,
Fac frui precum nos fructu tuarum.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio. ut supra.

AD COMPLETORIUM.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus,
℟. Agite dies lætitiæ & confitemini illi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

H Y M N U S.

VEre in ipso floridæ ætatis
Moreris, tutans gemmam castitatis,
Æternum vivens bea tuas gentes,
Pace, salute, nos tuos clientes.
Uni trinoque Deo sit gloria,
In Casimiri dulci memoria.

Antiphona, Versus & Oratio, uti supra.

COMMENDATIO.

GLoria tibi beata Trinitas,
Vera Sanctorum Jesu felicitas.
Precatu divi da nobis veniam,
Æternam tibi ut demus gloriam. Amen.

PII AFFECTUS
DE SANCTA BARBARA V. M.
Singulari morientium Patrona.

AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

H Y M N U S.

AVe Martyr Gloriosa,
Barbara mundi perosa,
Paradisi vernans rosa,
Castitatis lilium.

Tu spreto cultu Deorum,
Nobis in exemplar morum,
Christo in munus decorum
Te das & obsequium.
℣. Specie tua & pulchritudine tua,
℟. Intende, prosperè procede & regna.

ORATIO.

INtercessio nos quæsumus Domine Beatæ Barbaræ Virginis & Martyris semper adjuvet, ut imparati & subitò non moriamur, sed ante diem mortis nostræ Sanctissimi Corporis & Sanguinis tui, Sacriq; Olei Unctionis Sacramento salubriter muniamur, & ab omni malo protecti ex hoc exilio ad cælestem Patriam perducamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

AVe Virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota,
Pulchra, mitis & devota:
Vas virtutum omnium.
Te ob fidem Christo datam,
Duris catenis gravatam,
Et carceri mancipatam,
Sævus parens cruciat.
Versus & Oratio. ut supra.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

AVe criminis ignara,
Sponſum audis voce clara,
Veni pulchra, veni cara,
Veni coronaberis.
Minas, pœnas contempſiſti,
Magnos dolores viciſti,
Crebros ictus pertuliſti,
Cùm pro Deo cæderis.

Verſus & Oratio. ut ſupra.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

AVe tota vulnerata,
Crudeliter flagellata,
Surſum pedibus levata,
Quaſſa Caput malleo.
Ferro latera ſolvuntur,
Et lucernis aduruntur,
Mammæ caſtæ præſcinduntur,
Acumine ferreo.

Verſus & Oratio. ut ſupra.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

AVe Barbara ſerena,
Pulchra quaſi luna plena,
Singulari cantilena,
Sponſum agnum ſequeris.

Tuam ille castitatem,
Fovens alba nuditatem
Veste tegit, sanitatem
Ægro reddit corpori.
Versus & Oratio. vt supra.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

MAnum tollit, & crudelem
Stringit ensem in imbellem
Martyrem Christi fidelem,
Genitor in filiam.
Vix dum, caput amputavit,
Igne nubes laceravit,
Fulmen Patris dissipavit
Caput in perniciem.
Versus & Oratio. vt supra.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus Salutaris noster,
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

AVe Barbara beata,
Quæ cum Sponso præparata,
Nuptiarum ad optata
Transivisti gaudia.

Tu es fulgens margarita,
In Corona JESU ſita,
Tam in morte, quàm in vita
Sis nobis propitia.

Verſus & Orátio. ut ſupra.

COMMENDATIO.

VIrgo Sponſa Chriſti chara,
Cùm nos mors premet amara,
E cæleſtis Templi ara
Fer nobis viaticum.
His te precibus donamus,
Has tibi laudes dicamus,
Cùm nos trahet mortis hamus,
Adſis ad auxilium.

PII AFFECTUS
AD B. STANISLAUM KOSTKA SOC: JESU,
Patronum Regni Poloniæ.

AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS.

LUx nata ſuper Sarmatis,
Amorq; noſtri climatis,
Salve Beate Koſtule,
Cæleſtis horti floſcule.

℣. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni,
℟. Cui benedixit Dominus. *Geneſis 17. Verſ: 27.*
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

DEus, qui per Angelicas manus beatum Staniſlaum Confeſſorem tuum, Sacro Filij tui Corpore dulciter ſatiâſti, concede propitiùs, ut per ejus interceſſionem eundem Filium tuum; quem nunc per fidem, in admirabili Sacramento veneramur & ſumimus, revelata facie in cælis contemplari valeamus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

H Y M N U S.

DElicium Magni Patris,
Suaviolum Magnæ Matris,
Unum præſta ut cor meum,
Quidquid volet, velit Deum.

℣. Puer parvulus & ipſum ſolum habet Mater ſua,
℟. Pater verò teneré diligit eum. *Gen: 44. Ver: 20.*
℣. Domine exaudi orationem. &c. *Oratio ut ſupra.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

H Y M N U S.

FLammis ſupernis æſtuas,
Nobis calores impluas,
Non unda flammas temperet,
Meas medullas concremet.

℣. Aquæ

℣. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,
℟. Nec flumina obruent illam. *Cant: 8. Ver: 7.*
℣. Domine exaudi orationem. &c. *Oratio ut supra.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

JUbar repandis aureum,
Stillas liquorem melleum,
Guttam mitte sitienti,
Et quem stringis da poscenti.

℣. Quasi flos rosarum in diebus vernis,
℟. Et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.
℣. Domine exaudi orationem, &c. *Oratio ut supra.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S, &c.

HYMNUS.

ARridet æther gaudijs,
Tuisq; plaudit basiis.
Quas Angelorum manibus
Sumis, nos pasce frugibus.

℣. Panem Cæli dedit eis,
℟. Panem Angelorum mãducavit homo. *Ps: 77. v: 24. & 25.*
℣. Domine exaudi orationem, &c. *Oratio ut supra.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

HYMNUS.

PEr tuum Virgo flosculum,
Per tuum Jesu Kostulum,
Tua nos gratiâ muni,
Et Patri æterno uni.

℣. Fulcite me floribus, stipate me malis,
℟. Quia amore langueo. *Cant: 2. Vers: 5.*
℣. Domine exaudi orationem, &c. *Oratio ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus Salutaris noster,
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

HYMNUS.

O Kostka Christi gemmula,
Cæli micantis flammula,
Jesum da meis fletibus,
Da Dominum gemitibus.

℣. Consummatus in brevi explevit tempora multa,
℟. Placita enim erat Deo anima illius. *Sap: 4. Vers: 14.*
℣. Domine exaudi orationem, &c. *Oratio ut supra.*

AD SANCTUM PATRONUM MENSTRUUM.

DIve, quem cæli Dominus Patronum
Mense præsenti mihi destinavit,
Cælitus clemens opis indigentem
Cerne clientem.

Me pie Jesu, precor, & benignæ
Virgini Matris fidei tuendum,
Urbis & divis reliquis supernæ
Civibus offer.

Uſque ad æternæ Patriæ beatos
Limites ſerva famulum, potiri
Lætus ut tandem valeam perennis
Lumine vitæ.

℣. Ora pro nobis Sancte N.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

O R E M U S.

DEus tuorum gloria Sanctorum, præſta (quæſo) ut interceſſione Sancti tui N. Patroni mei liberer à cunctis malis animæ & corporis, ac eodem duce, comiteq; ſecurior ad vitam perveniam ſempiternam. Amen.

O R A T I O

Pro patientia in morbis & afflictionibus corporis.

LOquar ad Dominum, cùm ſim pulvis & cinis, umbra fugiens, aut vapor ad modicum parens. Memorare Domine, quæ mea ſubſtantia, memento quòd ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nè ergò multa fortitudine contendas mecum, quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineam, aut quis finis meus, ut patienter agam, neq; enim fortitudo lapidum fortitudo mea, neq; caro mea ænea eſt. Ut quid ergo ſagittæ Domini in me ſunt, quarum acerbitas ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant contra me: ſed quid? an in cælum ponam os meum, aut contradicam ſermonibus ſancti? Quin dicam potiùs Dominus dedit vires, ſanitatem &c. Dominus abſtulit ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Ita dico Domine, ita ſentio, juſtus es Domine & rectum judicium tuum, & certè graviora ego merueram, ſi judex meriti mei ipſe fieri cogerer, nihil poſſem huic, quam patior, pœnæ demere. Agnoſco ergò manum Patris benignè caſtigantem, non dexteram judicis in ira punientem; ſed hoc unum rogo te, Pater clementiſſime, agnoſce figmen-

figmentum tuum fragile & pufillum, quid ferre valeat, nè fuccũbat; ex fe quidẽ nihil penitùs poteft, ex te omnia, fi gratia tua confortet. Itaqué da robur ut pati & portare poffim; patientiam, inquam, defidero. Hæc mihi omnino neceffaria eft. Hanc da mihi Domine, & ecce paratum cor meum Deus, paratum cor meum accipere quidquid tibi placitum fuerit, ita ut etiam hæc mihi fit confolatio, ut affligens me dolore non parcas. O fac Domine, ut in patientia mea poffideam animam meam, ideoq; frequenter refpiciam in faciem Chrifti Filij tui, ut ipfo tanta & tam dira in carne paffo, & ego eadem cogitatione armari ftudeam, ille fact' tibi eft obediẽs usq; ad morté, & mortem Crucis: ego necdum usq; ad fanguinem reftiti, fentio tamen quantam vim patiar, dùm aculei morbi, dolores mortis irruunt in me. Itaq; fortitudinem meam ad te cuftodiam, quoniam tu es fortitudo mea, & refugium meum, tu es protector vitæ meæ. Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum, ut inveniar aliquando dignus te velut aurum, quod in fornace probatum eft, fcio quidem quòd non fint condignæ paffiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, attamen novi quoq; quia ficut oportuit pati Chriftũ, & ita intrare in gloriam fuam ita & Chriftianus fi non conformetur fuo capiti, & non tranfeat per ignem & aquam, haud educetur in refrigerium. Ecce Domine jam in igne fum, & quàm diu hoc tuum fit, ferva me interim, qui tres pueros in fornace Babilonis fervafti illæfos. Educ me quoque quando voles incolumem, & ego benedicam tibi cum omnibus creaturis tuis in omnia fæcula, dicens: Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.





ASPIRATIONES & CONSIDERATIONES ANIMÆ PIÆ,

In morbis & adversis utiles.

I. O Sapientia Æterna! quæ attingis à fine uſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter; tangis fortiter hoc morbo & malo corporis; ſed diſpone idipſum ſuaviter ad gloriam tuam & ſalutem meam, qui omnia in pondere, numero, & menſura diſponis.

II O Pater! à quo omne datum optimum & omne donum perfectum, ſed & hæc infirmitas ſeu afflictio mea, nonne donum tuum eſt? An eam caſui & fortunæ tribuam, non agnoſcens tuam providentiam? abſit hoc à me, ſcio enim, quia tu gubernas omnia: ſed & tu Domine cuſtodis omnia oſſa noſtra, unum ex his ſine te non conteretur. Quin & capilli capitis noſtri omnes numerati ſunt apud te, in manibus tuis ſortes meæ. Tu percutis & ſanas, vivificas & mortificas; ſive vivimus, ſive morimur, tui ſumus. Domine, fiat in omnibus voluntas tua, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus? quæ tamen mala non erunt, ſi ea ſuſcepimus ex mente Domini, qui nos corripit ut filios ad diſciplinam. Nempe diligentibus Deum hæc ipſa mala cooperantur in bonum.

III. O Domine! ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ, fac de me, quod placitum fuerit ante te, & quis ſum ego, qui repugnem tibi? Quis enim reſtitit tibi, & pacem habuit? ecce ego lutum, tu figulus; finge & excoque me, ſi ita viſum tibi, in camino tribulationis, ut fiam vas in honorem.

IV. O medice! qui verbo curas omnes languores animæ, nec minus corporis, quando id animæ noſti expedire, ſana me Domine, & ſanabor in anima; ſalvum me fac, & corpore

quoque salvus ero. Confido in te, & non in medicis, aut ullis remedijs. Illa quidem non respuo, sed nisi tu restauraveris domum ruinosam corporis mei, in vanum laborant omnes, qui ædificant eam. Remedijs ergò, si quæ porriguntur, tu præsta vires, ut efficaciam suam habeant in me, sin minus patientiã operare in anima mea, nam illa certissimum & præsentissimum est adversùs omnes morbos & mala remedium.

Sed ecce jam agnosco te re ipsa Medicum: officium Medici est noxium humorem ab ægris corporibus repellere, amara etiam potione, aut duro quovis remedio; id tu facis nunc, ô cælestis Medice, hac afflictione corporis mei. Durum quidem remedium & ingratum fateor carni meæ, sed intemperans & inobediens æger crudelem facit medicum.

Nimirùm ego cur negem; sæpè indulsi carni meæ, nutrivi eam in delicijs, multam noxiæ bilis & pravi humoris colluviem contraxi. Itaqué contraria fortè contrarijs curanda judicas. Fiat Domine, detur caro in interitum, modò spiritus salvus fiat, caro nos læta traxit in culpam, afflicta utinam reducat ad veniam; ure, seca, modò parcas in æternùm.

O R A T I O

Ad Christum orantem in Horto, sub initium Passionis.

Pro gratia & solatio in hora mortis.

TRistis est anima mea usque ad mortem, & progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis.

O Dominator cæli & terræ, JESU Christe, robur, fortitudo & victoria Martyrum, qui per te insultant morti & in morte victores exultant, undè ergo tibi metus iste, unde

tam anxia supplicatio, unde sudor tam mirus & inauditus, id est, sanguineus? Nonne oblatus es, quia ipse voluisti? nonne voluntariè omnino sacrificium istud Deo Patri obtulisti? qui non timeat, ô Domine! si times tu, quem omnia timent. Quis non concidat exanimis si tu procidis in faciem, cui curvatur omne genus? Quis non exhorreat ad mortis aspectum, si tu qui victor mortis futurus es, morte appropinquante, sic formidas? sed benedictus sis in æternum mi JESU, quia ad consolationem infirmorum membrorum tuorum hæc infirmitatis indicia assumere dignatus es, ne carnis infirmitas nobis desperationem ingerat, ubi ad passionem & mortem promptus est Spiritus.

Eja Domine recordare vehementis illius tristitiæ, illius pavoris, horroris, & terribilis angustiæ, quæ velut inundantes aquæ intraverunt usque ad animam tuam, cùm jam adesset initium acerbissimæ Passionis tuæ, adeoque pronus caderes in terram, & peteres à Patre transferri calicem istum abs te. Recordare durissimi illius agonis & luctæ, heu nimis acerbæ; qua tibi cum morte in tristissima illa nocte confligendum fuit, quæ & sanguineum è toto corpore tuo sudorem heu quàm violenter expressit.

Memento inquam Domine quorsum hæc omnia, utique propter nos homines & propter nostram salutem. Et quidem erit cùm ego veniam in hanc horam, cùm & ego in hunc hortum seu campum certaminis ingrediar, ut cum morte congrediar. Heu Domine quid tunc fiet de me? sine ope tua subsistere non potero, quin deficiam & succumbam, nisi tu mecum sis, & pugnes pro me, tu qui laborantes & oneratos invitas ad te, ut eos reficias, Calicem quidem tuum & ego bibere paratus sum; quomodo enim ego peccator recusabo eum, cùm tu agnus innocens illum prior ebiberis. Itaque deprecari eum

non audeo attamen hoc enixè precor, Domine, ut temperes mihi calicem tuum, & amaritudinem ejus sic gratiæ & consolationis tuæ fonte diluas, ut non abhorream, nec subterfugiam, quò minus bibam illum; omnia enim potero per gratiã tuam, si me confortes; sed & calix gloriæ tuæ inebrians, quàm præclarus est! ô ubertas Domus Dei, quàm inebriabuntur Electi tui! o torrens voluptatis, qui potabis amicos tuos! quid ista spes & exspectatio non leniat, condiat aut dulcoret? certè omne durum ac grave tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus alleviat.

Verùm Domine in his non mea voluntas sed tua fiat. Levem & suavem mortem non peto, sed qualem tu vis & nosti fore ad maiorem gloriam tuam & meam salutem; totum hoc tuæ pietati & voluntati committo, si difficiliorem mihi luctam & graviores mortis angustias divina providentia tua disposuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus, sed conserva & adauge in me fidem & spem præsentiæ, bonitatis & misericordiæ tuæ, nec derelinquas me Deus Salvator meus, sicut nec Pater tuus dereliquit te: mitte inquam & mihi Angelum sanctum tuum, qui in illis angustiis me consolationibus suis erigat & confirmet, omnemque virtutem inimici propulset à me, donec peracto hoc agone lætus triumphem, & merear à te coronam vitæ, quam promisisti diligentibus te & perseverantibus usque in finem. Amen.



PRO-

PROTESTATIONES

Sæpiùs faciendæ, & maximè ante mortem ab eo, qui Christianè vivere & mori desiderat.

I.

IN primis protestor me tota animi promptitudine ex divina providentia acceptare hanc, & quamcunque aliam Crucem, morbum, imò & mortem ipsam divinæ voluntati meam plenissimè submittens, & agnoscens me non solùm hac afflictione, infirmitate, & morte; verùm etiam omni alio graviori supplicio, ipso etiam inferno propter innumerabilia peccata mea dignissimum. Suscipio insuper hanc infirmitatem & mortem, ob reverentiam Sacratissimæ Passionis Domini nostri Jesu Christi: dolores, molestias, & acerbitates, quas tolero, cum molestijs, doloribus & amarissimis pœnis, quas in vita, passione, & in morte sua pertulit, veniens suppliciterque eum rogans ut dignetur eas acceptare pro pœnis innumerabilium peccatorum, quarum in purgatorio debitorem me fateor, adeoque in remissionem culparum mearum, & maximè earum quæ plurimum conscientiam meam urgent, & quas maiori cum diligentia confessas, & diligentiori satisfactione abolitas modò optarem.

II.

PRotestor quòd sicut hactenus in vera S. Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fide vixi, & credidi firmissimè quidquid illa credidit, mihiq; credendum proposuit, speciatim autem articulos Symboli Apostolici; ita etiam velim mori in eadem fide, & in hunc finem confitendo dico. Credo in Deum Patrem omnipotentem &c. omnia eodem sensu intelligens quo illa semper intellexit Sancta Mater Ecclesia.

III.

PRoteſtor me humillimè petere remiſſionem omnium meorum peccatorum, commiſſorum contra divinam Majeſtatem, proximum & meipſum, cogitatione, verbo, & opere; & omiſſionem, in obſervantia mandatorum Dei, Præceptorum Eccleſiæ (Regulæ, &conſtitutionum, quas profeſſus ſum) in operibus miſericordiæ, tum ſpiritualibus, tum corporalibus, in abuſu Sacramentorum, & negligenti cuſtodia ſenſuum meorũ, omnium inquam peccatorum meorum, mortalium, ſeu venialium, occultorum & alienorum, veniam precor á Deo meo per infinitam bonitatem & miſericordiam ejus, per meritum vitæ, Paſſionis, & mortis Domini mei & Filij ejus JESU Chriſti, & per potentiſſimam interceſſionem glorioſiſſimæ Virginis MARIÆ Matris Chriſti, per opem omnium Angelorum, Sanctorũ, & Sanctarum curiæ cæleſtis, & ſpecialiter Patronorum meorum, atque humillimè á divina bonitate peto, ut dignetur ex hoc tam immenſo theſauro, omnes defectus meos in Confeſſione Sacramentali commiſſos, ſupplere; & vel nunc demum veram & ſinceram mihi largiri contritionem de omnibus peccatis meis.

IV.

PRoteſtor, quòd ex animo ignoſcam omnibus, qui me unquam, quocunque modo læſerunt vel offenderunt, imò illis á divina Majeſtate omnia illa bona precor, quæ deſidero animæ meæ, inſuperq; veniam peto, ſi eis occaſionem me offendendi præbuerim: Deum autem omnipotentem rogo, ut profundè, ac vivaciter hoc ipſum in corde meo ſentiam, & verè ac ſincerè valeam. Dimitte mihi debita mea, ſicut & ego dimitto debitoribus meis.

V.

PRotestor, quòd humillimè ex toto corde veniam rogem ab omnibus illis, quos malo exemplo, factis, verbis, vel quocunque modo, scienter vel ignoranter offendi, ad omnem satisfactionem me paratissimum offerens, & Deum enixè rogans, ut si quem læsi, aut defraudavi, ejus mihi memoriam renovet, & resarciendæ omnis iniuriæ sinceram voluntatem, & plenam facultatem mihi ante mortem tribuat.

VI.

PRotestor me cogitationibus, verbis, & operibus imparem divinæ bonitati esse, nec infinitis beneficijs & gratijs, quæ tu Domine mihi præstitisti, tam universalibus, quàm particularibus, tam publicis quàm privatis, tam manifestis quàm occultis, ullo modo respondere posse, adeoq; sanctissimis pedibus advolutus, quas possum maximas, maximoq; animo, affectu gratias ago.

Appello itaq; beatissimam Virginem Matrem tuam, Patronam meam, Sanctos Angelos, & præcipuè Custodem meum, omnes sanctos & sanctas curiæ cælestis, specialiter autem meos Patronos & advocatos, ut suis gratiarum actionibus suppleant meum defectum & singularem ingratitudinem, de qua doleo, ac te veniam rogo: optarem autem mihi hoc casu tot linguas & corda, quot sunt creaturæ in mundo, quot stellæ in cælo, quot folia in arboribus, quot arenæ in littore maris, ut aliquo modo pares gratias decantare hîc valeam, & ideo illud Propheticum assumo.

Benedicite omnia opera Domini Domino; laudate & super exaltate eum in sæcula.

Laudate Dominum de cælis; laudate eum in excelsis.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Bene-

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius.

Benedicā Dominū in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Similiter omnibus illis gratias ago, qui mihi ullum beneficium corporale aut spirituale præstiterunt, præcipuè illis, qui me instruxerunt, corripuerunt & admonuerunt, aut ullam mihi occasionem de dulcissimo meo JESU bene merendi ex charitate præbuerunt.

VII.

PRotestor me velle vivere & mori munitum meritis Passionis, mortis & sanguinis à Salvatore meo effusi; item Patrocinio gloriosissimæ Virginis, & omnium Sanctorum Ecclesiæ, ac reliquorum, qui adhuc sunt, aut erunt usq; ad finem mundi: quæ omnia Deo offero, pro remissione omnium meorum peccatorum, & in gratiarum actionem, pro omnibus beneficiis, à Divina Maiestate receptis.

VIII.

EXnunc pro hora mortis meæ, supplico beatissimæ Virgini, Angelo meo custodi, omnibus Sanctis, ut quo ad vixero, & maximè in hora mortis meæ efficacibus suis intercessionibus & meritis impetrent mihi veram fidem, certam spem, ardentem charitatem, constantem fortitudinem, profundam humilitatem, invictam patientiam, omnesq; alias virtutes, quæ mihi pro reliquo vitæ meæ ac mortis articulo necessariæ sunt, ideoq; exnunc pro tunc dico.

MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege;
Et hora mortis suscipe.

Omnes

Omnes Sancti & sanctæ Dei intercedite pro me, ut dignus sim mori in gratia Christi.

IX.

PRotestor, quòd si Deo permittente contingeret me vitæ aut mortis tempore ab hoste maligno quacunq; tentatione pulsari, me nolle illi consentire, neque tacitè, neq; expressè, neque signis, neque verbis, neque factis; adeoq; ex nunc pro tunc revoco, irrito & detestor omnes, & qualescunq; cogitationes, quas dæmon mihi suggerere poterit: soli enim Deo Creatori meo in finem usq; adhærere & fidelis esse volo, abrenuncians ex nunc denuo & totaliter satanæ & omnibus operibus ac suggestionibus eius.

X.

DEnique commendo animam meam Deo Ceratori, qui eam ex nihilo creavit; Christo Salvatori, qui eam suo sanguine & morte redemit: Spiritui Sancto, qui eam in Baptismo sibi sanctificavit.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Deus propitius esto mihi indigno peccatori.

Similiter, protestor quòd ubi in agone constitutus ampliùs lingua loqui non valuero, saltem animo desiderem Deo meo uniri, & ex nunc pro tunc illi offero agoniam, labores, sudores & passiones meas, uniendas agoniæ, sudori sanguineo, doloribus & passionibus dulcissimi Salvatoris mei JESU Christi in remissionem peccatorum meorum, & ad gloriam eius æternam, omnesque ipsi assistentes Angelos toto corde deprecor, ut me in hoc mortis articulo fidei præsidio defendant.



PSALMI PÆNITENTIALES.

Antiphona. Ne reminiſcaris &c.

PSALMUS VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine usquequo?

Convertere Domine & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite omnes à me, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in irâ tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curvatus sum: usq; in finem tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei: adversum me appropinquaverunt, & steterunt,

Et qui juxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne discesseris à me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 50.

MIserere mei Deus : secundùm magnam misericordiam tuam,

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies; & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 101.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum Pelicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: & Reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filij servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam, sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usq; ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

PSALMUS 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate tua exaudi me, in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Me-

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

LITANIÆ
DE OMNIBUS SANCTIS.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.

Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michael, Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphael, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes Sancti BeatorumSpirituum Ordines, Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, Ora pro nobis.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.
Sancte Andrea, Ora pro nobis.
Sancte Jacobe, Ora pro nobis.
Sancte Joannes, Ora pro nobis.
Sancte Thoma, Ora pro nobis.
Sancte Jacobe, Ora pro nobis.
Sancte Philippe, Ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe, Ora pro nobis.
Sancte Mathæe, Ora pro nobis.
Sancte Simon, Ora pro nobis.
Sancte Thadæe, Ora pro nobis.
Sancte Matthia, Ora pro nobis.
Sancte Barnaba, Ora pro nobis.
Sancte Luca, Ora pro nobis.
Sancte Marce, Ora pro nobis.
Omnes SS. Apostoli & Evangelistæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora pro nobis.
Sancte Laurenti, Ora pro nobis.
Sancte Vincenti, Ora pro nobis.
Sancte Adalberte, Ora pro nobis.
Sancte Stanislae, Ora pro nobis.
Sancte Venceslae, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Floriane, Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebastiane, Orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, Orate pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Gervasi & Protasi, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Sylvester, Ora pro nobis.
Sancte Gregori, Ora pro nobis.
Sancte Ambrosi, Ora pro nobis.
Sancte Augustine, Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, Ora pro nobis.
Sancte Martine, Ora pro nobis.
Sancte Nicolae, Ora pro nobis.
Sancte Casimire, Ora pro nobis.
Omnes SS. Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Sancte Hyacinthe, Ora pro nobis.
Sancte Ignati, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Monachi & Eremitæ, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Agatha, Ora pro nobis.
Sancta Lucia, Ora pro nobis.
Sancta Agnes, Ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, Ora pro nobis.
Sancta Catharina, Ora pro nobis.
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.
Sancta Heduigis, Ora pro nobis.

Sancta Elisabeth, Ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
Ab ira tua, Libera nos Domine.
A subitanea & improvisa morte, Libera nos Domine.
Ab insidijs Diaboli, Libera nos Domine.
Ab ira & odio, & omni mala voluntate, Libera.
A spiritu fornicationis, Libera nos Domine.
A fulgure & tempestate, Libera nos Domine.
A peste, fame, & bello, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, Libera.
Per Adventum tuum, Libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam, Libera nos Domine.
Per Baptismum & Sanctum Jejunium tuum, Libera.
Per Crucem, & Passionem tuam, Libera nos Domine.
Per Mortem, & Sepulturam tuam, Libera nos Domine.
Per Sanctam Resurrectionem tuam, Libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera nos Domine.
Per Adventum Spiritus Sancti Paracleti, Libera.
In die judicij, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te.
Ut Ecclesiam tuam Sanctam regere & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus.

Ut

Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano Pacem, & Unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas, Te.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut animas nostras fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.
Ut fructus terræ dare & conservare digneris, Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.

PSALMUS 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.
Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam.
Avertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala,

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge, Euge.

Exultent & lætentur omnes, qui quærunt te, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper sum, Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis,
℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Oremus pro Pontifice nostro N.
℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Oremus pro benefactoribus nostris,
℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. Amen.
℣. Oremus pro fidelibus defunctis,
℟. Vitam æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace, ℟. Amen.
℣. Pro fratribus nostris absentibus,
℟. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

QUæsumus Omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Rex noster, qui tua miseratione Regni suscepit gubernacula, virtutum etiam percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & ad te, qui Via, Veritas, & Vita es, valeat pervenire.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Fide-

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum, remissionem cũctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur.

Actiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorũ simul & mortuorum dominaris, omniumq; misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus: ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amẽ.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus,

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

LITANIÆ
AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Deus, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, *Rom: 11.* M.
Qui solus es Deus, *Psal: 85.* Miserere nobis.

Qui

Qui Moysi nomen tuum, Ego Sum Qui Sum, patefecisti, *Exod: 3.*
Deus Deorum Dominus, *Ps. 49.*
Deus, in quo vivimus, movemur, & sumus, *Act: 1.*
Domine Deus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, *Exod: 20.*
Cui soli debetur omnis honor & gloria, *1. Tim: 1.*
Cujus Majestate repleta est terra, *Psal: 71.*
Qui facis mirabilia magna solus, *Psal: 135.*
Dominus altissimus super omnem terram, *Psal: 96.*
Qui solus es bonus, *Lucæ 18.*
Deus, cujus iræ nemo resistere potest, *Iob: 9.*
Qui es, qui eras, & qui venturus es, *Apoc: 1.*
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, *Exod: 3.*
Rex Regum, & Dominus dominantium, *Apoc: 17.*
Qui baltheum Regum dissolvis, & præcingis renes eorum, *1. Tim: 6.*
Qui solus habes immortalitatem, & lucem inhabitas inaccessibilem, *Iob: 12.*
Dominus exercituum Deus Israel, *1. Tim: 6.*
Fortissimus Deus Spirituum universæ carnis, *Is: 13. num: 16.*
Qui fecisti cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, *Psal: 145.*
Qui facis judicium injuriam patientibus, & das escam esurientibus, *Ibid.*
Deus misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax, *Psal: 85.*
Deus Judex justus, fortis, & patiens, *Psal: 7.*
In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis, *Job: 12.*
Dominus Deus noster ignis consumens, *Hebr: 12. Deut: 4.*
Deus fidelis, & absque ulla iniquitate justus & rectus, *Deut: 32.*

Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere nobis.

Dominus ſcrutans cor, & probans renes. *Pſal: 7.*
Qui aperis manum tuam & imples omne animal benedictione. *Pſal: 144.*
Magnus Conſilio, & incôprehenſibilis cogitatu. *Jer: 32.*
Qui facis magna inſcrutabilia & mirabilia, quorum non eſt numerus. *Job: 5. & 9.*
Pater Orphanorum, & Judex Viduarum, *Pſal: 67.*
Qui ſolvis compeditos, & illuminas cæcos, *Pſal: 145.*
Magnus Dominus noſter, cujus Sapientiæ non eſt numerus, *Pſal: 146.*
Suſcipiens manſuetos Dominus, & humilians peccatores uſq; ad terram, *Ibid.*
Cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, *Jer: 32.*
Unus Legislator & Judex, qui potes perdere & liberare, *Jacob: 4.*
Qui ſanas contritos corde, & alligas omnes contritiones eorum, *Pſal: 146.*
Dominus mortificans & vivificans, deducens ad inferos & reducens, *1. Reg: 2.*
Deus non volens iniquitatem, *Pſal: 5.*
Qui habes poteſtatem corpus & animam mittere in gehennam, *Luc: 12.*
Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, *Iſai: 45.*
Qui multiplicas gentes, & perdis eas, & ſubverſas in integrum reſtituis, *Job: 12.*
Cujus oculi lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, *Eccl: 23.*
Qui revelas profunda de tenebris, & producis in lucem umbram mortis, *Job: 12.*
Deus, apud quem non eſt perſonarum acceptio, *Rom: 2.*
Qui apprehendis ſapientes in aſtutia ſua, & conſili-

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

um pravorum dissipas, *Job: 5.* Miserere.

Qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, *Rom: 4.*

Deus universæ carnis, cui non est difficile omne verbum, *Jer: 32.*

Qui fecisti terram in potentia tua, & præparasti Orbem Sapientia tua, *Jer: 53.*

Qui das pluviam super faciem terræ, & irrigas aquis universa, *Job: 5.*

Qui das escam omni carni, *Psal: 135.*

Qui omnia propter temetipsum operatus es vivens in sæcula sæculorum, *Prov: 16.*

Qui omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti, *Sapient: 11.*

Quem Cælum, & cæli cælorū capere non possunt, *3. Reg: 8.*

Terribilis in consiliis super filios hominum, *Psal: 65.*

Apud quem tanquam momentum stateræ est orbis terrarum, *Sapient: 11.*

Qui operaris omnia secundùm consilium voluntatis tuæ, *Ephes: 1.*

Qui mensus es pugillo aquas & cælos palmo ponderâsti, *Isai: 40.*

Qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum ejus mitigas, *Psal: 88.*

Qui appendis tribus digitis molem terræ, & libras in pondere montes, *Isai: 40.*

Deus magnus Dominus: & Rex magnus super omnes Deos, *Psal: 94.*

Rex sæculorū immortalis, invisibilis, sol⁹ sapiens, *1. Tim: 1.*

Sanctus, Sanctus, Sanctus, *Isai: 6.*

Deus Protector noster, & merces nostra magna nimis, *Genes: 15.*

Unus Deus, & Pater omnium, qui es super omnes, & per

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Miserere nobis.

per omnia, & in omnibus nobis, *Ephes: 4.* Miserere.
Propitius esto, Parce nobis ô S. Trinitas.
Propitius esto, Parce nobis ô S. Trinitas.
Ab omni malo, Libera nos ô S. Trinitas.
Ab omni superbia & elatione animi,
A gula, crapula, & omni ventris ingluvie,
Ab ira, invidia, & omni mala voluntate,
Ab omni luxuria, & immunditia,
Ab omni acedia, & inordinata tristitia,
Per immensitatem potentiæ tuæ,
Per infinitatem sapientiæ tuæ,
Per abundantiam bonitatis tuæ,
Per æternitatem gloriæ & majestatis tuæ,
Per altitudinem scientiæ & providentiæ tuæ,
Per ineffabilem magnitudinem charitatis & misericordiæ tuæ,
Per abyssum justitiæ & judiciorum tuorum,
In die judicij,

Libera nos ô S. Trinitas.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut tibi serviamus in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris,
Ut te Dominum Deum nostrum adoremus, & tibi soli serviamus,
Ut Nomen Sanctum Tuum in vanum nunquam assumamus,
Ut Festos & Sacros Ecclesiæ dies religiosis & pijs operibus sanctificemus,
Ut Parentes, Prælatos, Superiores, & qui Parentum loco nobis sunt, debito honore, reverentiâ, & obedientiâ prosequamur,
Ut nullius vitæ, famæ, honori, ex ira, odio, vel invidia unquam noceamus,
Ut neminem damno, furto, vel quacunq; injuria, seu dolo, seu vi lædamus.

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut ab illicitis carnis deſiderijs, & impuris affectionibus cor noſtrum cuſtodiamus,
Ut nunquam adverſus proximum falſum teſtimonium aut mendacium loquamur,
Ut bona proximi non concupiſcamus,
Ut te Deum noſtrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus diligamus,
Ut te ſuper omnia, & proximum propter te, ſicut nos ipſos amemus,
Ut quod nobis fieri nolumus, alteri non faciamus,
Ut omnem gratiam in nobis abundare facias.
Ut divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ non contemnamus,
Ut exhibeamus corpora noſtra Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem,
Ut ad regnum, quod parâſti nobis ab origine mundi, nos perducere digneris,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Placa nobis Patrem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Propitius eſto nobis peccatoribus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona nobis Spiritũ S.
O Beata Trinitas audi nos. O adoranda Trinitas exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c.

℣. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum,
℟. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcula.
℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli,
℟. Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.
℣. Benedicant te omnes Angeli, & Sancti Tui,
℟. Et laudent te & glorificent in ſæcula.
℣. Benedicant te cæli & terra, mare, & omnia quæ in eis (ſunt,
℟. Laudent te & glorificent in ſæcula.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Spiritu Sancto,
℟. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

DEus, qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè, & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cælestium bonorum facias esse consortes.

OMnipotens sempiterne Deus, qui abundantiâ pietatis tuæ, & merita supplicum excedis, & vota; effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas, quæ conscientia metuit, & adjicias, quod oratio non præsumit. Per Dominum nostrum, &c.

L I T A N I Æ
P OE N I T E N T I U M,
Ex Sacra Scriptura collectæ,

Quarum usu excitatur peccatoris animus ad spem indulgentiæ, et studium pænitentiæ.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

PARS

P A R S I.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, *Ezech: 33.*

Qui Angelis peccantibus non pepercisti, sed in tartarum cruciandos detrusisti, *2. Pet: 2.*

Qui Adam post lapsum ad agnitionem culpæ & resipiscentiam vocâsti, *Gen: 3.*

Qui impium Cain de venia desperantem à facie projecisti, *Gen: 4.*

Qui Noe diluvio, ex impiorum exitio, per arcam clementer eripuisti, *Gen: 7.*

Qui Loth de medio peccatorum eduxisti, *Gen: 17.*

Qui Pharaonem fictè pœnitentem & induratum, tandem horribiliter punivisti, *Exod 14.*

Qui populum Israel de tribulatione ad te clamantem, è dura Pharaonis servitute liberâsti, *Ibid.*

Qui Moysi quadraginta diebus jejunanti legem in monte dedisti, *Exod: 34.*

Qui precibus Moysis populi prævaricantis peccata dimisisti, *Exod: 32.*

Qui Jonam ex ventre ceti ad te clamantem salvâsti, *Ion: 2.*

Qui Ninivitis in jejunio, sacco, & cilicio pœnitentibus pepercisti, *Jon: 3.*

Miserere nobis. Miserere nobis.

II.

Qui Davidem per Nathan ad agnitionem culpæ venire fecisti, *2. Reg: 12.*

Qui Davidis confitentis, & in cilicio pœnitentis peccatum transtulisti, *2. Reg: 12.*

Qui eidem ob peccatum numerati populi trium plagarum optionem detulisti, *2. Reg: 24.*

Qui Achab humiliato & pœnitenti pepercisti, *3. Reg: 21.*

Qui Judith in cilicio & cinere pro salute populi deprecantem exaudisti, *Judith: 9.*

Miserere nobis.

Qui

Qui Ezechiam cum populo in sacco, cinere, & jejunio, te invocantem, ab exercitu Assyriorum liberâsti, *4. Reg: 19.*
Qui Manassem pœnitentem exaudisti & in regnum suum restituisti, *2. Paral: 33.*
Qui Esther jejunantem in oculis Regis Assueri gratiam invenire fecisti, *Esther: 3.*
Qui Mardochæum in sacco & cinere te invocantem liberâsti, *Ibidem.*
Qui Machabæis jejunantibus, & in sacco & cinere te invocantibus auxilio fuisti, *1. Mach: 3.*
Qui Sacerdotes pro populo plorare, orare, & sacrificare jussisti, *Joel: 2. & alib.*

Miserere nobis.

III.

Qui venisti in hunc mundũ peccatores salvos facere, *1. Tim: 1.*
Qui redempturus mundum, Joannem pœnitentiæ præconem præmisisti, *Math: 3.*
Qui eundem victus & vestitus asperitate mirabile speculum pœnitentiæ dedisti, *Ibid.*
Qui quadraginta diebus & totidem noctibus jejunâsti, *Math: 4.*
Qui dives in misericordia, propter nimiam charitatem quâ dilexisti nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificâsti nos in Christo, *Ephes: 2.*

Miserere nobis.

Qui Mathæum in telonio sedentem tuâ gratiâ prævenisti, *Math: 9.*
Qui Publicanum cum dolore & humilitate pectus percutientem, justificationis gratiâ donatum, testatus es, *Luc: 18.*
Qui Paralyticum dimissis peccatis à morbo liberâsti, *Lu: 5.*
Qui filij prodigi ad Patrem revertentis exemplo peccatoribus spem veniæ & indulgentiæ præbuisti, *Luc: 15.*
Qui mulieri Samaritanæ fontẽ aquæ vivæ patefecisti, *Ioan: 4.*

Miserere nobis.

Qui

Qui Zachæi pœnitentis, & aliena restituentis domui salutem attulisti, *Luc: 19.*
Qui Chananæam in oratione perseverantem benignè exaudisti, *Matth: 15.*
Qui mulierem in adulterio deprehensam clementer absolvisti, *Joan: 8.*
Qui Publicanos & peccatores recepisti, & cum eis manducâsti, *Luc: 5. & 15.*
Qui Mariæ Magdalenæ multum diligenti peccata multa dimisisti, *Luc: 7.*
Qui Petrum ter negantem benignè respiciens ad agnitionem criminis, & lachrymas pœnitentiæ promovisti, *Luc: 22.*
Qui Latroni pœnitenti pendens in Cruce Paradisum promisisti, *Luc: 23.*
Qui peccatum non fecisti, & peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti, *1. Petr: 2.*
Qui attritus es propter scelera nostra, *Isai: 53.*

Miserere nobis.

Miserere nobis.

IV.

Qui diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, *Sap: 11.*
Qui, quasi aurum in fornace probas Electos tuos, *Sap: 3.*
Qui das locum & tempus pœnitentiæ in peccatis, *Sap: 12.*
Qui flagellas omnē filium, quem recipis & diligis, *Heb: 12.*
Qui, quos amas, arguis & castigas, *Apoc: 3.*
Qui non vis aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, *2. Pet: 3.*
Qui venisti quærere, & salvum facere, quod perierat, *L: 19.*
Qui misereris omnium, & dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam, *Sap: 11.*
Qui factus es propitiatio pro peccatis nostris, *Joan: 2.*
Qui peccatorum in jejunio fletu & planctu se ad te convertentium misereris, *Joel: 2.*

Miserere nobis.

Qui misericordiam vis & non sacrificium, *Matth: 9.*
Qui non venisti vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam, *Luc: 5.*
Qui benignitate tua nos ad pœnitentiam adducis, *Rom: 2.*
Qui Paulum persequentem ac devastantem Ecclesias mirabiliter vocâsti, *Act: 9.*
Qui eundem triduo jejunâtem & orantem illuminâsti, *Ibid.*
Qui post pœnitentiam omnium peccatorum nostrorum non recordaris amplius, *Ezech: 18.*
Deus benigne, misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiam, *Joel: 2.*

Miserere nobis.

V.

Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
A subitanea mala morte, Libera nos Domine.
Per Baptismum & S. Jejunium tuum, Libera.
Per labores & dolores tuos, Libera.
Per Sanguinem tuum, quem in remissionem peccatorum nostrorum effudisti, Libera nos Domine.
In die tribulationis, & angustiæ, & tremendi Judicij, Libera nos Domine.

VI.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, *1. Cor: 11.*
Ut nos ipsos dijudicare, & judicium tuum evadere possimus, Te rogamus audi nos.
Ut dignos pœnitentiæ fructus tempestivè faciamus, *Matth: 3.* Te rogamus audi nos.
Ut sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ & iniquitati, sic ea exhibeamus servire justitiæ ad sanctificationem, *Rom: 13.* Te rogamus audi nos.

Ut

Ut non demus ultra locum diabolo, nec Sol unquam occidat super iracundiam nostram, *Eph: 4.*
Ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè, justè, & piè vivamus, *Tit: 2.*
Ut castigemus corpora nostra, & in servitùtem redigamus, *1. Cor: 2.*
Ut non regnet peccatum in mortali nostro corpore, *Rom: 6.*
Ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, *Ibid.*
Ut non diligamus mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, *1. Joan: 2.*

Te rogamus audi nos.

VII.

Ut non conformemur huic sæculo, sed reformemur in novitate sensus nostri, *Rom: 12.*
Ut non plus sapiamus quàm oportet, sed sapiamus ad sobrietatem, *Ibid.*
Ut non inebriemur vino, in quo est luxuria, *Eph: 4.*
Ut tanquam vera Christi membra carnem nostram crucifigamus cum vitijs & concupiscentijs, *Gal: 5.*
Ut omnis sermo malus ex ore nostro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, *Eph: 4.*
Ut omnis amaritudo, ira, & indignatio tollatur à nobis, *Ibid.*

Te rogamus audi nos.

Ut non efficiamur inanis gloriæ cupidi, *Ibid.*
Ut deponamus veterem hominē cum actibus suis, & novum induamus in justitia, & sanctitate veritatis, *Ibid.*
Ut non secundùm carnem vivamus sed spiritu facta carnis mortificemus, *Rom: 8.*
Ut divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis tuæ nunquam contemnamus, *Rom: 2.*
Ut adeuntes ad Thronum gratiæ cum fiducia misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, *Hebr: 4.*

Te rogamus audi nos.

Ut induti armaturam Dei possimus stare adversus insidias diaboli, *Eph: 6.*
Ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur, *Phil: 6.*
Ut omnia detrimentum arbitremur propter Christum, *Phil: 3.*
Ut peccatis mortui justitiæ vivamus,
Ut per multas tribulationes hujus sæculi nos in regnum Dei introire concedas, *1. Petr: 3.*
Ut nos hîc urere & purgare, in æternum parcere digneris, *Act: 14.*
Ut nos exaudire digneris,

Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem, ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Domine non secundùm peccata nostra facias nobis, ℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine nè memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, ℟. Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster, ℟. Et propter gloriam Nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

℣. Ab occultis meis munda me Domine, ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Ne memineris Domine delicta nostra, vel Parentum nostrorum, ℟. Nequè vindictam sumas de peccatis nostris.

℣. Ne-

℣. Nè tradas Domine animas bestijs confitentium tibi,
℟. Et animas pauperum tuorum nè obliviscaris in finem.
℣. Domine averte faciem tuam à peccatis meis,
℟. Et omnes iniquitates meas dele.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui, ℟. Et Spiritu principali confirma me.
℣. Domine exaudi orationem meam, ℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

DEus, qui nullum respuis, sed quantumvis peccantibus per pœnitentiam piâ miseratione placaris, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, ut tua valeamus implere præcepta.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut nos famulos tuos de tua misericordia confidentes cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulemur, & nullis tentationibus à te separemur.

DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissimè respice, & conatus nostros pietate tua prosequere, ut per immensam misericordiam tuam peccatorum nostrorum veniam, in tuo servitio constantiam, & tandem præmia perseverantibus promissa feliciter consequamur. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.





LITANIÆ
VITÆ & PASSIONIS
Domini Nostri JESU CHRISTI.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Jesu cunctis gentibus desiderate, *Agg:* 2.
Jesu in mundum à Patre misse, *Gal:* 4.
Jesu de Spiritu Sancto concepte, *Luc:* 1.
Jesu VERBUM CARO FACTUM, *Joann:* 1.
Jesu formam servi accipiens, *Philip:* 2.
Jesu in utero Matris Joannem visitans & exhilarans, *Luc:* 1.
Jesu de MARIA Virgine nate, *Luc:* 2.
Jesu Pannis involute, *Luc:* 2.
Jesu in præsepio reclinate, *Ibid.*
Jesu Ubere Virgineo lactate, *Ibid.*
Jesu Pastoribus in præsepio manifestate, *Ibid.*

Miserere nobis.

Jesu Circumcisionis legem spontè suscipiens, *Ibid.*
Jesu à Magis adorate, *Matth:* 2.
Jesu in Templo præsentate, *Luc:* 2.
Jesu ulnis justi Simeonis excepte. *Luc:* 2.
Jesu in Ægyptum deportate, *Matth:* 2.
Jesu ab Herode ad necem quæsite, *Mat:* 2.
Jesu in Nazareth nutrite, *Luc:* 2.
Jesu in templo inter Doctores invente, *Ibid.*
Jesu parentibus subdite, *Luc:* 2.
Jesu à Joanne baptisate, *Luc:* 3.

Miserere nobis.

Jesu

Jesu in deserto tentate, *Math: 4.*
Jesu, qui cum hominibus conversatus es, *Math: 4.*
Jesu rudes & pauperes discipulos eligens, *Ibid.*
Jesu omnibus languentibus misericorditer opitulate, *Ibid.*
Jesu in monte coràm Patribus transfigurate, *Math: 17.*
Jesu præ compassione super Jerusalem lachrymans, *L. 19*
Jesu Rex mitis Ierusalem ingresse, *Math: 21.*
Jesu Zelo Domus Dei vēdentes & ementes ejiciens, *L. 19.*
Jesu triginta argenteis vendite, *Math: 26.*
Jesu ad lavandos Discipulorum pedes inclinate, *Ioan: 13.*
Jesu Pascha cum Discipulis manducans, *Math: 26.*
Jesu Corpus tuum nobis in cibum, & Sanguinem in potum largiens, *Ibidem.*
Jesu in oratione prostrate, *Ibidem.*
Jesu in agonia sanguineo sudore perfuse, *Ibidem.*
Jesu ab Angelo confortate, *Ibidem.*
Jesu osculo à Juda tradite, *Ibidem.*
Jesu à ministris crudeliter ligate, *Ibidem.*
Jesu à Discipulis derelicte, *Ibidem.*
Jesu Annæ & Caiphæ præsentate, *Ibidem.*
Jesu alapâ à ministro percusse, *Ibidem.*
Jesu à falsis testibus accusate, *Ibidem.*
Jesu reus mortis judicate, *Ibidem.*
Jesu in faciem conspute, *Ibidem.*
Jesu oculis velate, *Ibidem.*
Jesu colaphis cæse, *Ibidem.*
Jesu gratis odio habite, *Joan: 15.*
Jesu, qui corpus percutientibus, & genas vellentibus dedisti, *Isai: 50.*
Jesu à Petro ter negate, *Matth: 26.*
Jesu vinctus Pilato tradite, *Matth: 27.*
Jesu ab Herode sprete & illuse, *Luc: 23.*
Jesu veste alba indute, *Ibidem.*

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Jesu

Jesu Barabbæ postposite, *Ibidem.*
Jesu flagellis immaniter cæse, *Joan: 19.*
Jesu propter scelera nostra attrite, *Isai: 53.*
Jesu quasi leprosus reputate, *Ibidem.*
Jesu veste purpurea indute, *Matth: 27.*
Jesu spinis coronate, *Math: 27.*
Jesu arundine pro sceptro donate, *Ibidem.*
Jesu à Judæis ad Crucem postulate, *Ibidem.*
Jesu morte iniquissima condemnate, *Luc: 23.*
Jesu voluntati Judæorum tradite, *Ibidem.*
Jesu Crucis pondere gravate, *Joan: 19.*
Jesu tanquam ovis ad occisionem ducte, *Isa: 53.*
Jesu myrrhato vino & felle potate, *Marc: 15.*
Jesu nudus in Cruce confixe, *Math: 27.*
Jesu, qui dilexisti nos; & lavisti nos à peccatis nostris in sanguine tuo, *Apoc: 1.*
Jesu, qui proposito tibi gaudio sustinuisti Crucem confusione contempta, *Hebr: 12.*
Jesu, qui tradidisti temetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo suavitatis, *Eph: 4.*
Jesu cum iniquis reputate, *Marc: 13.*
Jesu inter duos Latrones crucifixe, *Math: 27.*
Jesu regio titulo in Cruce per Pilatum insignite,
Jesu pro inimicis Patrem deprecans, *Joan: 19.*
Jesu opprobrium hominum facte, *Psal: 23.*
Jesu à prætereuntibus blasphemate, *Luc: 23.*
Jesu à Judæis derise, *Ibidem.*
Jesu à militibus in Cruce illuse, *Luc: 23.*
Jesu à Latrone convitijs lacessite, *Ibidem.*
Jesu, qui Latroni pœnitenti Paradisum pollicit⁹ es, *Ibidem.*
Jesu, qui Joannem Matri tuæ in filium commendâsti, *Joan: 19.*
Jesu, qui te à Patre derelictum attestatus es, *Math: 24.*

Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere nobis.

JESU sitiens aceto potate, *Joan: 19.*
JESU, qui omnia de te scripta in Cruce consummâsti, *Ibidem.*
JESU, qui spiritum tuum in manus Patris jam moriturus commendâsti, *Luc: 23.*
JESU à Patre pro tua reverentia semper exaudite, *Hebr: 5.*
JESU usque ad mortem Crucis obediens facte, *Phil: 2.*
JESU lanceâ transfixe, *Joan: 19.*
JESU de cujus latere exivit sanguis & aqua, *Ibidem.*
JESU, qui peccata nostra super lignum in corpore tuo pertulisti, *1. Petr: 2.*
JESU, cujus livore sanati sumus, *Ibidem.*
JESU propitiatio nobis facte, *1. Joan: 2.*
JESU de Cruce deposite, *Marc: 15.*
JESU in Sindone munda involute, *Math: 27.*
JESU, qui post mortẽ ad inferos descendisti, *1. Petr: 3.*
JESU, qui mortuus es propter delicta nostra, & resurrexisti propter justificationem nostram, *Rom: 8.*
JESU in Cælum elevate, *Actor: 1.*
JESU in Patris dextera collocate, *Psal: 106.*
JESU gloriâ & honore coronate, *Psal: 8.*
JESU Rex Regum, & Domine Dominantium, *Apoc: 9*
JESU, qui parâsti nobis locum in Domo Patris tui, *Joan: 12.*
JESU noster apud Patrem advocate,
JESU Spiritum Paraclitum Discipulis elargiens, *Actor: 2.*
JESU vivos & mortuos judicature, *2. Tim: 4.*
JESU reprobos in ignem æternum missure, *Math: 24.*

Miserere nobis. Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis IESU.
Propitius esto, Exaudi nos IESU.
Ab omni malo, Libera nos IESU.
A subitanea & improvisa mala morte, Libera nos IESU.
Ab insidiis diaboli, Libera nos IESU.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, Libera nos IESU.
A morte perpetua, Libera nos IESU.

Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per impositionem SS. Nominis tui,
Per Baptismum & sanctum Iejunium tuum,
Per labores & vigilias tuas,
Per agoniam & sangvineum sudorem tuum,
Per alapas & flagella tua,
Per spineam coronam tuam,
Per Crucem & Passionem tuam,
Per sitim, lachrymas, & nuditatem tuam,
Per sacratissima quinque Vulnera tua,
Per mortem & sepulturam tuam,
Per Sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per missionem Spiritus Sancti Paracleti,
In die judicij,

Libera nos Iesu. Libera nos Iesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut peccatis mortui justitiæ vivamus, *1. Petr: 2.*
Ut gloriari nobis non liceat, nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi, *Gal: 6.*
Ut amore tui mundus nobis crucifixus sit, & nos mundo, *Ibidem.*
Ut Crucis mortificationem jugiter in corpore nostro circumferamus, *2. Cor: 4.*
Ut carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs crucifigere studeamus, *Gal: 5.*
Ut te passo in carne, & nos eadem cogitatione armemur, *1. Petr: 2.*
Ut crucem nostram quotidie tollere, & te sequi valeamus, *Math: 16.*
Ut quæ nobis lucra sunt, propter te detrimenta arbitremur, *Phil: 3.*

Te rogamus audi nos.

Ut te IESUM Crucifixum scire ante omnia studeamus, *1. Cor: 2.*
Ut sanguis tuus emundet nos ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, *Hebr: 9.*
Ut empti pretio magno glorificemus Deum in corpore nostro, *1. Cor: 6.*
Ut mortui peccato & consepulti deinceps tecum in novitate vitæ ambulemus, *Rom: 6.*
Ut semel emundati ab operibus mortuis rursum te Filium Dei crucifigere & ostentui habere caveamus, *Hebr: 6*
Ut relictum à te nobis exemplum intuentes sequamur vestigia, *1. Petr: 2.*
Ut, sicut Socij Passionum sumus, ita simus & consolationis, *2. Cor: 4.*

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

ORATIONES AD JESUM.

I.

S. Augustini Ecclesiæ Doctoris.

DOmine IESU noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam, nisi te.
Ut odiam te, & amem te,
Quidquid agam propter te.
Humiliem me, & exaltem te,
Nihil cogitem nisi te,
Mortificem me, & vivam in te,
Quæcunqué veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te,
Semper optem, sequi te,

Fugiam me, confugiam ad te,
Dignus sim, defendi à te.
Timeam mihi, timeam te,
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te,
Obedire velim propter te,
In nullo afficiar, nisi in te,
Adspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te,
Et in æternum potiar te. Amen.

II.

D. Gregorij Papæ Doctoris Ecclesiæ.

BOne IESU, Verbum Patris, Splendor Paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut à spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æterna, & unus omnium spiritus; ubi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas, ubi tu Deus cum Patre & Spiritu Sancto, vivis & regnas, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

III.

S. Bernardi Abbatis Doctoris Mellisflui.

O Bone IESU, ô pijssime IESU, ô dulcissime IESU, ô IESU Fili MARIÆ Virginis plene misericordiâ & pietate, ô dulcis IESU, secundùm magnam misericordiam tuam, miserere mei. O clementissime IESU, te deprecor, per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc Nomen Sanctum IESU invocantem, ô Nomen IESU, Nomen dulce; Nomen IESU, Nomen delectabile; Nomen

IESU,

Iesu, Nomen confortans: quid est enim Iesus, nisi Salvator. Ergò Iesu propter Nomen Sanctum tuum, esto mihi Iesus, & salva me, ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creâsti. O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu recognosce quòd tuum est, & absterge quod alienum est; ô benignissime Iesu, miserere mei dùm tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine meo, dùm descendero in æternam corruptionem, non mortui laudabunt te Domine Iesu, neque omnes, qui descendunt in infernum; ô amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu, ô Iesu, Iesu, Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum; ô Iesu salus in te credentium, ô Iesu solatium ad te confugientium, ô Iesu dulcis remissio omnium peccatorum, ô Iesu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatem; ut possim te perfectè diligere, te laudare, te frui, tibi servire, ac in te gloriari, & omnes qui invocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

IV.

P. Caroli Spinolæ, Societatis IESV, pro fide Christi in Iaponia lento igne combusti 10. Sep. 1622.

Dignare, benignissime Iesu, per Sanctissimum Nomen tuum, esse mihi Iesus, & dare mihi spiritum illum, quem qui non habent, non sunt tui. Insere quæso cordi meo hoc amabile Nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejusq; amore ita ardeam, ut moriar in te. Iesu mi dulcissime, Iesu mi suavissime, Iesu mi dilectissime, invocato hoc semper jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero Nomine tuo, IESU, IESU, IESU.





JUBILUS
DIVI BERNARDI
DE NOMINE JESU.

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia;
Sed super mel, & omnia,
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Iesus Dei Filius.
Iesu spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus?
Iesu dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere?
Iesum quæram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo,
Privatim & in publico,
Quæram amore sedulo.
Cum Maria diluculo,
Iesum quæram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quæram, non oculo.

Tum-

Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
Iesu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Iesu Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor Iesu dulcissimus,
Et verè suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus.
Hoc probat ejus passio,
Hoc Sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei visio.
Iesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Iesum ardentèr quærite,
Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Iesus Author clementiæ,
Totius spes lætitiæ,

Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Iesu mi bone sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.
Cùm dignè loqui nequeam
De te, tamen non sileam,
Amor facit ut audeam,
Cum de te solum gaudeam.
Tua Iesu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant esuriunt,
Qui bibunt adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Iesum, quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Iesus sapiat,
Quam felix est, quem satiat,
Non est ultra quod cupiat.
Iesu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies,
Mi Iesu quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus,
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Est & vitæ perpetuus.

Iesu ſumma benignitas,
  Mira cordis jucunditas,
  Incomprehenſa bonitas,
  Tua me ſtringat charitas.
Bonum mihi diligere
  Iesum, nil ultra quærere,
  Mihi prorſus deficere,
  Ut illi queam vivere.
O Iesu mi dulciſſime!
  Spes ſuſpirantis animæ,
  Te quærunt piæ lachrymæ,
  Et clamor mentis intimæ.
Quocunqué loco fuero,
  Mecum Iesum deſidero,
  Quàm lætus cùm invenero,
  Quàm felix cùm tenuero.
Tunc amplexus, tunc oſcula,
  Quæ vincunt mellis pocula,
  Tunc felix Chriſti copula,
  Sed in his parva morula.
Iam quod quæſivi video,
  Quod concupivi teneo,
  Amore Iesu langueo,
  Et corde totus ardeo.
Iesus cùm ſic diligitur,
  Hic amor non extinguitur,
  Non tepeſcit, nec moritur,
  Plùs creſcit & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
  Dulceſcit mirabiliter,
  Sapit delectabiliter,
  Delectat & feliciter.

O Beatum incendium!
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium!
Amare Dei Filium.
Iesu flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus honor luminis,
Regnum beatitudinis.
Veni Veni Rex Optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clariùs,
Iam expectatus sæpiûs.
Iesu Sole Serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi salvatio.
Mi dilecte revertere,
Consors paternæ dexteræ,
Hostem vicisti prosperè,
Cæli Regno jam fruere.
Sequar quocunque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cor meum cùm abstuleris,
Iesu laus nostri generis.
Cæli cives occurrite,
Portas vestras attollite,

Triumphatori dicite,
Ave Iesu Rex inclyte,
Rex virtutum, Rex gloriæ;
Rex insignis victoriæ,
Iesu largitor veniæ,
Honor cælestis Patriæ.
Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen Patriæ;
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ!
Te cæli Chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat,
Iesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Iesus in pace imperat,
Quæ omnem sensum superat,
Hanc mea mens desiderat,
Et eà frui properat.
Iesus ad Patrem redijt,
Cæleste regnum subijt,
Cor meum à me transijt,
Simul post IesuM abijt.
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus,
Ut nos donet cælestibus,
Secum perfrui sedibus. Am̃.

ORATIO

ABsorbeat quæso, ô dulcissime Domine Jesu Christe, Spes unica, & auxilium animæ meæ, mentem meam, ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore mei amoris dignatus es in ara Crucis mori, & deduc me è terris

in Paradiſum, qui de paradiſo propter me in terram deſcendiſti. O amor amoris mei.

LITANIÆ
LAURETANÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Mater Chriſti, Ora pro nobis.
Mater Divinæ Gratiæ, Ora pro nobis.
Mater puriſſima, Ora pro nobis.
Mater caſtiſſima, Ora pro nobis.
Mater inviolata, Ora pro nobis.
Mater intemerata, Ora pro nobis.
Mater amabilis, Ora pro nobis.
Mater admirabilis, Ora pro nobis.
Mater Creatoris, Ora pro nobis.
Mater Salvatoris, Ora pro nobis.
Virgo prudentiſſima, Ora pro nobis.
Virgo veneranda, Ora pro nobis.
Virgo prædicanda, Ora pro nobis.
Virgo potens, Ora pro nobis.
Virgo clemens, Ora pro nobis.
Virgo fidelis, Ora pro nobis.
Speculum juſtitiæ, Ora pro nobis.
Sedes ſapientiæ, Ora pro nobis.

Cauſa

Causa nostræ lætitiæ, Ora pro nobis.
Vas Spirituale, Ora pro nobis.
Vas honorabile, Ora pro nobis.
Vas insigne devotionis, Ora pro nobis.
Rosa mystica, Ora pro nobis.
Turris Davidica, Ora pro nobis.
Turris eburnea, Ora pro nobis.
Domus aurea, Ora pro nobis.
Fæderis Arca, Ora pro nobis.
Janua cæli, Ora pro nobis.
Stella matutina, Ora pro nobis.
Salus infirmorum, Ora pro nobis.
Refugium peccatorum, Ora pro nobis.
Consolatrix afflictorum, Ora pro nobis.
Auxilium Christianorum, Ora pro nobis.
Regina Angelorum, Ora pro nobis.
Regina Patriarcharum, Ora pro nobis.
Regina Prophetarum, Ora pro nobis.
Regina Apostolorum, Ora pro nobis.
Regina Martyrum, Ora pro nobis.
Regina Confessorum, Ora pro nobis.
Regina Virginum, Ora pro nobis.
Regina Sanctorum Omnium, Ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Ave Maria, &c.

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Ad-

vocata nostra; tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos recommenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R E M U S.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filij tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO ad B. V. MARIAM

Pro conservanda castitate.

O Sanctissima Virgo & Mater MARIA, mundissimum pietatis Speculum, & purissimum Virginitatis exemplar. Ego N. ex intimo te imitandi desiderio, & amore castitatis accensus firmiter propono, me quo ad vixero nullis unquam inhonestis cogitationibus, aut desiderijs scienter inhæsurum, aut consensurum, neque unquam aliquid cogitatione, verbo, opere, vel quovis alio modo facturum, aut permissurum, quod castitati adversum intelligam, & hæc omnia ad majorem Dei gloriam, animæq; meæ salutem. Te igitur, ô castissima Virgo, ego indignissimus filius per tuam Virginitatem rogo, ut mihi impetres à dilectissimo Filio tuo gratiam & auxilium, ut quod verbis offero, opere præstem, & sincerus semper castitatis, & constans pietatis amator existam, donec tandem ad cælestes Filij tui nuptias admittar, suavissimis Sanctorum epulis reficiendus in cælis. Amen.

Antiphona.

Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus offeram, nescio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Si-

℣. Sicut Lilium inter spinas,
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.

OREMUS.

O Regina Virginum, Maria amantissima, Mater mea, ecce Jesus benignissimus Filius tuus Virgo, Joannem, Virginem, & me indignissimum, tibi in filium adoptavit, obsecro te igitur per amorem, sanguinem, & mortem ejus, suscipe me in filium, quia Filium tuum ex toto corde diligo, teque eligo in Matrem, imô si tibi placet cum Bernardino & Edmundo tuo in Sponsam animæ meæ. Malo siquidem mori, quàm cogitatione, verbo, aut opere alicujus creaturæ amore inquinari, sequi te cupio, & Jesum Agnum quocunq; ierit in æternum, & cum Angelo Custode puritatem servare Angelicam, juxta statum meum, in æternum; accipe & serva, ô dulcissima Mater, cor & animam, & corpus meum, tibi toto corde dicatam in sempiternum, Amen.

SANCTA PRAXIS

Iuvandi animas purgatorij.

O Domine Jesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem in Horto fudisti, libera animas è flammis purgatorij, imprimis animam maximè desertam, & induc eam in gloriam tuam, ut te laudet, & benedicat in æternùm.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Jesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem fudisti in flagellatione tua, libera animas purgatorij, maximè animam liberationi proximam, & induc eam in gloriam tuam, ut te laudet & benedicat in æternùm.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Iesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem fudisti in spinea coronatione tua, libera animas è flammis purgatorij, maximè animam diutissimè alias crucian-

cian-

ciandam, & induc eam in gloriam tuam, ut te laudet & benedicat in æternùm.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Iesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem fudisti in crucifixione tua, libera animas è flammis purgatorij, maximè animam meritis primam, & induc eam in gloriam tuam, &c.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Iesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem fudisti è latere tuo benedicto, libera animas è flammis purgatorij, maximè animam pro qua orare magis obligor, & induc eam in gloriam tuam, &c.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Iesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem à morte Sacræ Sindoni tuæ impressisti, libera animas è flammis purgatorij, maximè animam, quæ libentiùs oravit in vivis pro animabus, & induc eam &c.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O Domine Iesu, rogo te per pretiosissimum Sanguinem, qui à Passione tua superstes in terris religiosè colitur, libera animas è flammis purgatorij, maximè animam Deiparæ charissimam, & induc eam in gloriam tuam, ut laudet te & benedicat in æternùm. Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

Sic ora quotidie, si loci commoditas patitur, septies visitando SS. Sacramentum: vel divide has intentiones per 7 dies hebdomadæ, & offeras S. Rosarium, Commun: &c. die Dominica v.g. pro maximè deserta, die lunæ pro liberationi proxima, &c.

O R A T I O

Pro animabus Purgatorij.

MIserere, mi Domine animabus, quæ singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tor-

tormentis; neque spes ulla, nisi quod ad imaginem & similitudinem tuam creatæ sunt; quæ antiquitate vel paupertate, aut negligentiâ in oblivionem Parentum, servorum tuorum traditæ sunt, quarum primus, sextus, septimus, trigesimus, aut anniversarius dies nunquam celebratur. Parce eis Domine, & defende plasma tuum; libera eas à cruciatu & tormentis, porrige eis dextram tuam, & perduc eas in locum refrigerij, lucis, & pacis. Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

O R A T I O

Pro desideratis rebus à DEO impetrandis.

OMnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus thesaurus. En ego peccator (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quòd clementissimum Patrem meum unquam offenderim) cum filiali fiducia infinitam Majestatem tuam supplex accedo, ne quæso me, quem ex infinita potentia tua, ex nihilo creâsti, ex summo amore in filium & hæredem cælestis gloriæ adoptâsti, ex immensa bonitate morte unigeniti & æterni Filij tui ab æterna damnatione liberâsti, ne obsecro me, cui hæc omnia licet indignissimo præstitisti, à facie tua repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, quâ gravissimos etiam peccatores acrè contritos, in momento ex abysso omnium scelerum extraxisti, per merita benignissimi dilectissimiq; Filij tui Domini nostri JEsu Christi, per ardentissimam Spiritûs S. charitatem, quâ te Patrem cum Filio complectitur; per Beatissimam Virginem MARIAM à te in Filiam, à Filio tuo in Matrem, à Spiritu S. in Sponsam ab æterno electam & præordinatam; per omnium denique Angelorum, & Sanctorum merita ac laudes, suppliciter oro, ut miserearis mei; tuamque ad preces meas aurem inclines. O clementissime Pater aperi thesauros inexhaustæ bonitatis tuæ, meque infinitæ liberalitatis tuæ fac esse participem,

& hanc petitionem misericorditer exaudi. N.N. *Hic aut mente, aut tuis verbis, tibi, vel aliis aliquid dari à Deo, vel ab aliquo malo liberari pete.* Converte quæso Domine benignitatis tuæ mitissimos oculos ad me, licet indignissimam creaturam tuam, & esto propitius supplicationibus meis; iterùm te Domine Deus meus per omnia, quæ in cælo & in terra tibi chara sunt, suppliciter oro; ut quod peto: benignè mihi largiaris, si est pro gloria tua, & salute animæ meæ. Amen.

ANGELICA ORATIO

Contra Pestem.

SAncte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, miserere nobis. Media vita in morte sumus, quem quærimus adjutorem, nisi te Domine, qui pro peccatis nostris justè irasceris. Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos, ne proijcias nos in tempore senectutis, cùm defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine. Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis, miserere nobis.

℣. A peste & subitanea mala morte libera nos Domine,

℟. A damnatione perpetua salva nos Christe Salvator.

O R E M U S.

OMnipotens & misericors Deus, aspice propitius super populum, majestati tuæ subjectum, & ne nos furor sæviens inveniat, dextera tuæ protectionis præveniat. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Psalmi Davidici 90. et 30. in tribulatione dicendi et contra desperationem.

QUi habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet

Dicet Domino ſuſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante, in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis Leonem & Draconem.

Quoniam in me ſperavit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, A.

PSALMUS 30.

IN te Domine ſperavi, non confundar in æternum: in juſtitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam: accelera

lera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem meum, & in Domum refugij: ut salvum me facias. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter Nomen tuum deduces me & enutries me. Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis. Gloria Patri, &c.

OREMUS.

DEus, qui contritorum non despicis gemitum, & mærentium non spernis affectum, adesto precibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra offerimus, easq; clementer exaudi, ut quidquid contra nos diabolicæ, atque humanæ molliuntur adversitates, ad nihilum redigantur, & consilio tuæ pietatis allidantur. Per Christum Dominum nostrum, A.

ORATIO CONIUGUM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacramentum Matrimonij ad humani generis propagationem, ad hominum consolationem, & à peccato incontinentiæ præservationem instituisti, te supplex rogo, ut quandoquidem paternâ tuâ providentiâ & dispositione, hunc Matrimonij statum amplexus sum, mihi & conjugi meæ hanc gratiam dones, ut simul vivamus in omni pudicitia, puritate & continentia matrimoniali, in amore dilectionis atq; affectione mutua, nec te ulla qualicunq; ex causa, ignorantiæ, fragilitatis, aut malitiæ offendamus.

MIsericordissime Deus, effunde super nos tuam sanctam benedictionem, ut à nostra stirpe ac posteritate laudari & glorificari possis per omnia sæcula; non enim aliam ob causam, ô infinita bonitas! prolis desiderio tenemur, pro quâ etiam tibi supplicamus, ut cùm eam nobis concesseris, eandem ad te diligendum, tibiq; famulandum conserves, intervenientibus meritis, atq; suffragijs gloriosissimæ Virginis MARIÆ Deigenitricis, S. Annæ, Elisabe-

thæ

thæ, & S. Ludovici Regis. Profliga, ô Domine, Sathanam statûs conjugatorum infensissimum hostem, ne vel impuritate aliquâ nos inquinet, vel inter nos discordiam, aut contentionem excitet, amputa etiam omnium diffidentiarum & suspicionum occasiones, ut in vera conjunctione animorum vivamus, & ut qui dux pacis es, in medio nostrum habites; da ut alacri animo inter nos feramus abundantiam & penuriam, divitias, paupertatem, dolorem, voluptatem, adversitatem & prosperitatem, morbum & sanitatem, idque sine murmure da; ut cujus est præesse, compartem non contemnat, & cujus est subesse alteri non dominetur cum offensâ; quòd si conjugium nobis jucundum largiri digneris, da; ut liberos nostros educêmus in agnitione & timore Nominis tui, ne vel molliori educatione & conniventiâ, vel illiberali asperitate, aut malò nostro exemplo deteriores reddantur, sed moderata tractatione, & bona nostra conversatione, in timore ingenuò contineantur, & in omni virtute ac gratiâ proficiant. Si autem proles ad te acceperis, vel planè non dederis, fac nos tuâ ordinatione contentos, prolem bonorum operum & fructuum spiritualium, eò frequentiùs quærere & gignere, nostrosq; domesticos solicitè in observantia mandatorum tuorum enutrire. Concede denique, ut simul laborantes, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, honestè quæramus; quæsita non dilapidemus; sed inde piè & cum honestate vivamus, ut moderatam laudabilemq; vitam coram te & universo mundo ducamus, & post hanc vitam simul in tua tabernacula recipiamur in cælis. Amen.

AD SANCTOS ANGELOS.

Angele mi Custos fidelissime, Vosque purissimi Spiritus cælestes, S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphael, omnesque alij Sancti Angeli Dei respicite in me, jam ego ge-

gemens & suspirans, mors mihi in oculis est, & mortalium nemo; sed vos potestis succurrere. Ah me non deserite! in his summis angustijs mei, dùm momentum illud imminet, in quo salus mea omnis, aut perenne stat omne exitium: Ah juvate! ante Regem Regum pro me supplices procumbite, meumque mihi obsecro conciliate Judicem; sententiam ego nunc supremam expecto, vos impetrate eam mihi ad vitam sempiternam, subvenite Sancti Angeli, succurrite dilectissimi SS. Dei Patroni mei N.N. jam jam aderit Judex meus JESUS Christus, miserere, ô JESU miserere.

ITINERARIUM.

IN viam pacis & prosperitatis, dirigat nos Omnipotens & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto, ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto nobis Domine Turris fortitudinis, ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis, ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Benedictus Dominus hodie, & quotidie, ℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas Domine demonstra nobis, ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Utinam dirigantur viæ nostræ, ℟. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Erunt prava in directa, ℟. Et aspera in vias planas. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te, ℟. Ut custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam, ℟. Et clamor meus ad te veniat.

ORE-

OREMUS.

DEus, qui filios Israël per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti: quiq; tribus Magis iter ad te ſtellâ duce pandiſti, tribue nobis quæſumus iter proſperum tempusq; tranquillum, ut Angelo tuo ſancto comite ad eum, quo pergimus locum, ac demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Vr Chaldæorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti, quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris; eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendimus proſperè perveniamus, & demùm incolumes ad propria redeamus.

ADeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates tuo ſemper protegamur auxilio. Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat, & B. Joannis Præcurſoris hortamenta ſectando ad eum, quem prædixit ſecura perveniat Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c. ℣. Procedamus in pace, ℟. In Nomine Domini, Amen.

ORATIO

Contra pericula viarum, animæ et corporis.

JESUS † NAZARENUS † REX † JUDÆORUM † Triumphalis hic titulus protegat & cuſtodiat me, ab omni malo, ab omni infortunio, ab omni peccati opprobrio, & infamia, præſertim à ſubitanea & improviſa morte. O Deus Sanctus † ô Deus Fortis † ô Deus Pater † ô Deus Filius † ô Deus Spiritus Sanctus † Amen.

Exco

EXeo in virtute Dei, exeo in potentia Dei, exeo in efficacia SS. Carnis & Sanguinis ejus, quem B. Virgo MARIA in suis castissimis visceribus portabat, hæc sit mihi expugnatrix omnium malignorum spirituum, eorumq; Phantasmatum propulsatrix, sit reconciliatrix, propitiatrix pro omnibus peccatis meis, sit adversariorum meorum propugnatrix, adjuvet me Deus Pater † Deus Filius † Deus Spiritus Sanctus † Amen.

SAcrosancta Trinitas, & individua Unitas sit & maneat ante me, retro, subtus, & juxta me, ô JESU tibi moriar & vivam, sim tuus, ante, & post mortem: ô Deus meus ne derelinquas me, sed adsis mihi in omnibus adversitatibus, tribulationibus, & necessitatibus meis. Pax Domini sit semper mecum. Amen.

PAx illa tua Domine cælestis, quam Discipulis tuis reliquisti: semper maneat firma in corde meo, & sit semper inter me & inimicos meos, tam visibiles, quàm invisibiles. Pax Domini, Vultus Domini, Corpus Domini, Sangvis Domini nostri JESU Christi sit mihi peccatori adjutor, & propitius protector & defensor, & consolator animæ meæ & corporis mei. Agnus Dei, qui de Virgine MARIA dignatus es nasci, tollensq; in Cruce peccata mundi, miserere corporis & animæ meæ. Agnus Dei Christus immolatus pro salute mundi, per quem salvantur cuncti fideles; da mihi in hoc sæculo & in futuro sempiternam pacem. ô mi JESU, per quem omnia liberata sunt, libera me ab omni malo; ô mi JESU, per quem omnia consolata sunt, consolare me; ô mi JESU, per quem mihi omnia adjuta sunt, adjuva me in omnibus necessitatibus meis, angustijs, negotijs, periculis, & de omnibus insidiis inimicorum visibilium & invisibilium libera me. In Nomine PATRIS, qui totum mundum creavit.

In-

In Nomine FILII, qui totum mundum redemit. In Nomine SPIRITUS Sancti, qui totam legem adimplevit; commendo mea omnia, totum me, nunc, & in æternum. Amen.

Benedictio DEI PATRIS Omnipotentis, FILII, & SPIRITUS Sancti, sit semper mecum. Amen.

Benedictio DEI PATRIS Omnipotentis, qui omnia solo Verbo fecit, sit semper mecum. Amen.

Benedictio Domini Nostri JESU CHRISTI, FILII DEI VIVI, sit semper mecum. Amen.

Benedictio SPIRITUS Sancti cum septem donis, sit semper mecum. Amen.

Benedictio BEATÆ MARIÆ VIRGINIS cum FILIO, sit semper mecum. Amen.

Benedictio Angelorum & Archangelorum, Virtutum, Principatuum, Thronorum, Dominationum, Cherubinorum, Seraphinorum, Potestatum, sit semper mecum. Amen.

Benedictio Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Omnium Sanctorum DEI, sit semper mecum. Amen.

DOMINUS me benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam; & Fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace. Amen.

BENEDICTIO QUOTIDIANA,

Contra repentinam malam mortem sæpè repetenda.

HOdie impono fronti meæ vexillum † fidei, signum victoriæ, titulum triumphalem Christi Salvatoris, Regis gloriæ, Regis Judæorum. Filius B. M. Virginis, Triumphator mortis pro nobis peccatoribus, sub Pontio Pilato crucifixus, dignetur me peccatorem hodiernâ die tueri ab omni perturbatione mentis & corporis, à vexatione dæmonum, & ne-

quam hominum, à potestate inimicorum visibilium & invisibilium, nec non ab omnibus maleficijs, ab omni pestifero cibo, & potu, dolore, & angustiâ, & confusione, & scandalis; à periculis ignis & aquæ, à vitijs & peccatis, ab omni lapsu & ruina, læsione & incommodo, à subitanea & improvisa mala morte, in virtute DEI Patris † Omnipotentis, & Filij † ipsius, & Spiritus † Sancti. Amen.

ORATIO
Ad Omnes Sanctos.

EXultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Avete omnes Electi & Dilecti DEI, Angeli & Beati omnes, qui ab æterno ad gloriã & suprema bona Domini in terra viventium prædestinati, in omni gratia confirmati, & nũc cælestis gloriæ bravio coronati estis; jam enim SS. Trinitatem facie ad faciẽ lætantes intuemini; eamq; ineffabili gaudio sine fine laudatis.

Salve inprimis o SS. Domina mea, immò Mater Domini mei, cæli terræq; Regina, Patrona & Advocata nostra, Virgo MARIA.

Salve & tu mi Angele Custos, cujus curæ & tutelæ à divina bonitate commissus sum.

Salvete Vos omnes dilecti Patroni mei, præsertim N.N. quibus me nunc & semper humillimè commendo.

Ego indignus laudo, honoro, & imploro Vos, & in augmentum gloriæ, & exultationis vestræ, offero vobis omnis salutis boniq; fontem & thesaurum, nempè dulcissimum Cor JESU Christi Domini Nostri. Gratias ex corde ago DEO, qui vos elegit, & justificavit per immensam gratiam suam, qui prævenit vos in benedictionibus dulcedinis suæ, quiqué Vos conservavit in via, per omnia salutis obstacula, & sic demùm beatificavit in gloria: gratias æternas ago DEO pro omnibus donis

& be-

& beneficijs, quæ in tempore dedit vobis, & in æternum daturus est.

Eja felices amici Dei, obtinete mihi Clienti Vestro plenam peccatorum veniam, & perfectam mei ipsius abnegationem, ut per viam angustam sequar vestigia vestra, sed & pacem DEI, quæ exuperat omnem sensum, seu tranquillitatem animi intimum & sincerum DEI amorem, quo vos succensi Mundum, Carnem, Dæmonemq; & omnia vitæ præsentis adversa, fortiter ac gloriosè vicistis, per vos supplex exposco.

Orate quæso pro me nunc & in hora mortis, quando hinc migraturus, & ad summi Judicis horrendum Tribunal sistendus sum, ut non intret mecum in judicium, sed secundùm infinitam misericordiam suam me judicet, ut sic demùm admitti possim in felicissimum vestrum consortium, in illa superna Jerusalem, ubi simul laudemus & superexaltemus DEUM ac Dominum nostrum in sæcula. Amen.

OFFICIUM
Pro Fidelibus Defunctis.
AD MATUTINUM.

CIrcumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

DEitatis Paternitas, & Filij productio,
Spiritus Sancti charitas, & JESU Christi Passio,
Trinitatisq; pietas, sint defunctis remissio
Peccatorum, ut claritas detur eis cum gaudio.
Requiem æternam dona eis Domine,
Et lux perpetua luceat eis.

O R A T I O.

DEUS, qui hominem de limo terræ (ut Angelorum impleres ruinas) ad imaginem & similitudinem tuam creâsti & formâsti, ac ut ipsum ad locum perditum revocares, in Cruce mortem passus fuisti, miserere quæsumus animabus omnium fidelium defunctorum, justitiam tuam per misericordiam mitigando, nè opera manuum tuarum propter carnis peccata damnentur, quæ fragilia & ad peccandum prona creâsti. Qui vivis & regnas, &c.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Animæ eorum in bonis demorentur,
Et semen eorum hæreditet terram.

A D P R I M A M.

Circumdederunt me gemitus mortis*,
Dolores inferni circumdederunt me.

VEni Crator Spiritus mentes tuorum visita,
Per quem mundus est creatus & omnia sunt condita,
Qui à nullo es genitus, dimitte nobis debita,
Ita quòd nemo perditus sit propter sua demerita,
Requiem æternam &c. *Cum Oratione & Versu ut supra.*

A D T E R T I A M.

Circumdederunt me gemitus mortis*,
Dolores inferni circumdederunt me.

H Y M N U S.

DEUS à quo sunt omnia bona, dona victoriam
Contra omnia vitia vivis, defunctis da veniam,
Ut post hæc transitoria veniamus ad gloriam,
Defuncti quoque gaudia possideant per gratiam.
Requiem æternam &c. *Cum Oratione & Versu, ut supra.*

AD SE-

AD SEXTAM.

Circumdederunt me gemitus mortis*,
Dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

OStende nobis faciem tuam, præmium Sanctorum;
Cùm venerimus ad diem iræ & judiciorum,
Justitiæ sævitiam mitigans, dans peccatorum
Veniam, atqué requiem, in sæcula sæculorum.
Requiem æternam &c. *Cum Oratione & Versu ut supra.*

AD NONAM.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

VIrgo carens criminibus, te precor, in auxilio
Adstes, tuisq; precibus sis coram tuo Filio,
Et pro cunctis fidelibus fiat tua petitio,
Cum Sanctorum agminibus locet eos cum gaudio.
Requiem æternam &c. *Cum Oratione & Versu ut supra.*

AD VESPERAS.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

VOs deprecor humiliter intuitu pietatis,
Omnes Sanctos, & pariter Sanctas ut intercedatis,
Pro cunctis reis, quatenus beatis
Associentur benignitèr ante Thronum S. Trinitatis.
Requiem æternam &c. *Cum Oratione & Versu ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Circumdederunt me gemitus mortis,
Dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

IN manus tuas Domine commendo ſpiritum meum,
Ut ſicut ſine crimine hominem te credo DEUM,
Qui pretioſo Sanguine redemiſti mundum reum,
Sic hominem de crimine ſalva, qui formâſti eum.
Requiem æternam dona eis Domine,
Et lux perpetua luceat eis.

ORATIO.

DEus, qui hominem de limo terræ (ut Angelorum impleres ruinas) ad imaginem & ſimilitudinem tuam creâſti & formâſti, ac ut ipſum ad locum perditum revocares, in Cruce mortem paſſus fuiſti, miſererê quæſumus animabus omnium fidelium defunctorum, juſtitiam tuam per miſericordiam mitigando, ne opera manuum tuarum, propter carnis peccata damnentur, quæ fragilia & ad peccandum prona creâſti. Qui vivis & regnas &c.

Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. Amen.

Animæ eorum in bonis demorentur,
Et ſemen eorum hæreditet terram.

LITANIÆ
Pro Fidelibus Defunctis.

ANTIPHONA.

Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis ſalvantur.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon,
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere animabus fidelium defunctorum.

Fili

Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere animabus fidelium defunctorum.

Spiritus Sancte Deus, Miſerere animabus fidelium defunctorum.

Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere animabus fidelium defunctorum.

Sancta MARIA, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancta DEI Genitrix, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Virgo Virginum, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Michael, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Joannes Baptiſta, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Petre, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Paule, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Joannes, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, Orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Stephane, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Laurenti, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes SS. Martyres, Orate pro fidelibus defunctis.

Sancte Gregori, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancte Ambroſi, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes Sancti Pontifices & Confeſſores, Orate pro fidelibus defunctis.

Sancta Maria Magdalena, Ora pro fidelibus defunctis.

Sancta Catharina, Ora pro fidelibus defunctis.

Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro fidedelibus defunctis.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro fidelibus defunctis.
Propitius esto, Parce eis Domine.
Propitius esto, Exaudi eos Domine.
Ab omni malo, Libera eos Domine.
Ab ira tua, Libera eos Domine.
A potestate diaboli, Libera eos Domine.
A flamma ignis, Libera eos Domine.
A regione umbræ mortis, Libera eos Domine.
Per immaculatam conceptionem tuam, Libera eos Domine.
Per Nativitatem tuam, Libera eos Domine.
Per multitudinem miserationum tuarum, Libera eos Domine.
Per acerbissimam passionem tuam, Libera eos Domine.
Per Sanctissima vulnera tua, Libera eos Domine.
Per pretiosissimum Sanguinem tuum, Libera eos Domine.
Per ignominiosissimam mortem, quâ nostram moriendo destruxisti, Libera eos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Qui Mariam absolvisti, & Latronem exaudisti, Te rogamus.
Qui salvandos salvas gratis, Te rogamus audi nos.
Ut Parentes, propinquos, & Benefactores nostros, à pœnis inferni eripere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnes fideles defunctos ab æterna damnatione liberare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut desiderium ipsorum adimplere digneris, Te rogamus.
Ut Angelorum cætus eis splendidus subveniat, Te rogamus.
Ut eis Patriarcharum & Prophetarum cuneus occurrat, Te rogamus audi nos.
Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, misereri digneris, Te rogamus audi nos.

Ut eos

Ut eos gloriosus Apostolorum Chorus excipiat, Te rogamus audi nos.
Ut eis omnibus parcere & indulgere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut candidatorum Martyrum triumphans exercitus eos lætus circumdet, Te rogamus audi nos.
Ut eos Sanctorum Confessorum agmen deducat, Te rogamus audi nos.
Ut jubilantium Virginum eos Corona comitetur, Te rogamus audi nos.
Ut ad Auctorem suum, qui eos de limo terræ formavit, redire valeant, Te rogamus audi nos.
Ut mitis atque dulcis tuus adspectus eis benignus appareat, Te rogamus audi nos.
Ut ad dexteram suam in electorum consortium eos recipias, Te rogamus audi nos.
Fili Dei fons pietatis, Te rogamus audi nos.
Rex tremendæ Majestatis, Te rogamus audi nos.
Qui claves habes mortis & inferni, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Dona eis requiem sempiternam.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

PSALMUS.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. &c.

℣. Requiem æternam dona eis Domine,
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. A porta inferni, ℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Abſolve Domine animas omnium fidelium defunctorum,

℟. Ab omni vinculo delictorum.

℣. Ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum,

℟. Sed ſignifer S. Michael repræſentet eas in lucem S.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

O R A T I O

RESpice, quæſumus Domine, animas famulorum famularumq; tuarum, & omnium fidelium defunctorum, pro quibus ſalvandis nudus expanſis manibus in Cruce pependiſti, & quinque vulnera in corpore perculiſti, & amatam mortem ſubire voluiſti. Qui vivis & regnas &c.

FIdelium DEUS omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumq; tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace, ℟. Amen.

ORATIONES pro DEFUNCTIS.

P S A L M U S 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cu-

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine,
Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi, ℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

In die obitus.

ABsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. ut defunct⁹ sæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatẽ carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum, &c.

Pro Episcopis et Sacerdotibus.

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, ut eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio.

Pro defunctis Fratribus.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis Fratres, Propinquos & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt beata MARIA semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro Patre et Matre.

DEUS, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, miserere clementèr animabus Patris & Matris meæ, e-

orúmq; peccata dimitte, meq; eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum, &c.

Pro uno defuncto.

INclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quem de hoc sæculo migrare fecisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum, &c.

Pro una defuncta.

QUæsumus Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N. & contagijs mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum, &c.

Pro pluribus defunctis.

FIdelium DEUS omnium Conditor & Redemptor animabus famulorum famularumq; tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur. Per Christum Dominum nostrum, &c.

HYMNUS
Pro defunctis ad B. V. MARIAM.

LUgentibus in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur sine remedio,
Subveniat tua compassio,
O MARIA!

Fons es patens, quæ culpas abluis,
Omnes sanas & nullum respuis,
Manum tuam extende mortuis,
Qui sub pœnis languent continuis,
O MARIA!

Ad te

Ad te pia ſuſpirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adeſſe tuo conſpectui,
Et gaudijs æternis perfrui,
O MARIA!

Clavis David, quæ cælum aperis,
Nunc beata ſuccurre miſeris,
Qui tormentis torquetur aſperis,
Educ eos de domo carceris,
O MARIA!

Lex juſtorum, norma credentium,
Vera ſalus in te ſperantium,
Pro defunctis, ſit tibi ſtudium,
Aſſiduè orare Filium.
O MARIA!

Benedicta per tua merita,
Te rogamus mortuos ſuſcita,
Et dimittens eorum debita,
Ad requiem ſis eis ſemita.
O MARIA!

O R A T I O

ORamus te pijſſima Virgo MARIA, mundi Regina & Angelorum, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium; peccatoribus indulgentiam, juſtis in bono perſeverantiam, nos quoq; fragiles ab inſtantibus defende periculis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Clemens VIII. P. M. conceſſit, neque ullus Papa revocavit, ut toties liberet quis animam è purgatorio, quoties ad honorem S. Sindonis Chriſti legit ſequentem Orationem, uti P. Roas tradit lib. de purgat. c. 16. in hiſp. exempl.

ORATIO.

DEUS, qui nobis in Sanctâ Sindone, quâ Corpus tuum Sacratissimum de Cruce depositum, à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti; concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam, ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis, & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SEQUENTIA.

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Qvando Judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus.
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante Thronum.
Mors stupebit, & natura,
Cùm resurget creatura,
Judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergò cùm sedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cùm vix justus sit securus.
Rex tremendæ majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare JESU pie,

Quòd

Quòd ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus:
Redemiſti, Crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.
Qui MARIAM abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis:
Flammis acribus addictis:
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favilia,
Judicandus homo reus.
Huic ergò parce DEUS,
Pie JESU Domine,
Dona eis requiem. Amen.

ASPIRATIONES
Agonizantibus utilissimæ.

O Pater æterne! ego sum indignissimus servus ille, quem sic dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares pro eo; fac in hora hac misericordiam cum servo tuo, ne pereat in me pretiosus sanguis ejus. Nam quæ utilitas mihi in sanguine Redemptoris, si ego descendero in corruptionem?

O JESU Christe! ego sum ovis illa perdita, quam tu relictis 99. in deserto tàm laboriosè quæsivisti, & impositam humeris reduxisti. Tu es Pastor bonus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Erravi sicut ovis quæ perijt, require servum tuum, ne permittas, ut eam rapiat, qui circuit modò tanquam Leo rugiens & quærens, quam devoret, de ore Leonis libera me Domine &c.

O JESU! ego sum miser ille, qui descendens de Jerusalem, incidi in latrones, & acceptis multis plagis semivivus relictus sum. Tu verò es Medicus meus, & verus ille Samaritanus, qui misericordiâ motus super me, alligâsti vulnera mea; immò qui ex sanguine & vulneribus tuis, mihi medicinam parâsti: tu es, qui languores nostros portâsti, & cujus livore sanati sumus. Miserere mei Domine, in hac hora ultima mea; Domine ad adjuvandum me festina, priùs quàm moriar animâ meâ & pereamin æternùm.

O JESU! ego sum infelix ille peccator, & reus multorum criminum. Tu verò es advocatus meus apud Patrem, & propitiatio pro peccatis meis; non enim vis mortem peccatoris, sed ut vitam habeat: venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, fac ergo mecum misericordiam in hac extrema hora vitæ meæ, esto mediator & advocatus meus apud Patrem. O bone JESU propitius esto mihi peccatori. In manus tuas Domine commendo spiri-

tum



ORATIONES
Quædam, & verba memorabilia Sanctorum in extremis.

BELIHIUS NOVIOMENSIS ANTISTES
suos cum lachrymis complexus, ijsq; valere jussis, postquam tacitè aliquandiu orâsset, demùm in has voces erupit.

NUnc dimittis, inquit, servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & sic in pulverem reduces me. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: Memento mei, qui solus sine peccato es, Christe mundi Redemptor: & educens me de morte corporis hujus, transfer in regnum tuum: scio me conspectum tuum non mereri, tu tamen scis, quia spes mea semper fuit in misericordia tua. Et tunc quando in confessione Sancti Nominis tui moriens extremum Christe anhelitum efflabo, suscipe me secundùm magnam misericordiam tuam: & non confundas me ab exspectatione mea. Aperi mihi properanti januam vitæ, & Principes tenebrarum non occurrant mihi. Tua me manus inducat in locum refrigerij, & vel in ultimam mansionem ex ijs, quas præparâsti servis tuis timentibus te.

Sub his verbis efflavit animam.

De S. BERNARDO ABBATE CLAREVALL:
Qui in ægritudine, quæ extrema putabatur, gravissimis & aureis planè verbis Inimicum accusantem confudit: ita habet Author vitæ, qui tunc præsens aderat.

Cùmque extremum jam trahere spiritum videretur, in excessu mentis suæ ante Tribunal Domini sibi visus est præsentari. Adfuit autem & Satan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans, ubi verò omnia ille fuerat prosecutus, & Viro Dei esset pro sua parte dicendum, nil territus, aut turbatus, ait : Fateor non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere Cælorum, cæterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito Passionis; altero ipse contentus: alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans, non confundor. *in hoc verbo confusus inimicus &c. lib. 1. Cap. 12. O verba pulchra omnibus moribundis inculcanda.*

B. LAURENTIUS JUSTINIANUS PATRIARCHA VENETUS,

Ita, positus in extremis, orabat.

TU scis Domine, quòd dùm vitam meam considero, confusio sit mihi potiùs appellanda, quàm vita; sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipe me, ô bone JESU, vita & salus animæ meæ; neque enim in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

ILla ego ovis amissa, ad te Pastorem meum redeo, vocem tuam novi, non alienorum: Peto Domine, ut ad ovile tuum reducas me. Potesnè vocem spernere ballantis oviculæ, & confugientis ad te. Nonnè tu es ille, qui dixisti: Venite ad me omnes &c. & iterùm: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione.

ECce clamo plus corde, quàm ore Domine; ecce tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet; non est qui liberet, & salvum faciat, nisi tu bone JESU. Sed neque Beatorum Spirituum Sedes affectare ausim, qui speciem intuen-

tuentur Sanctissimæ Trinitatis: portio tamen aliqua creaturæ tuæ postulat micas suavissimæ mensæ tuæ: utinam merear vel abjectus esse in Domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Ita Laurent: Justin: in vita Cap. 11.*

ORATIO B. HIERONYMI

In agone mortis à moribundo dicenda, aut moribundo perlegenda.

PIe Jesu, virtus mea, refugium meum, Susceptor meus, liberator meus, in quem speravi, cui credidi, quem dilexi, summa dulcedo, turris fortitudinis, & spes mea; à juventute mea. voca me dux vitæ meæ, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum, quod de limo terræ Creator omnium formasti, quod ossibus & nervis compegisti, cui vitam moriens tribuisti, clementiæ tuæ porrige dexteram.

TEmpus est ut pulvis in pulverem revertatur, & spiritus redeat ad te Salvatorem; qui huc illum misisti. Aperi ei Domine januam vitæ, nam pro me in ligno Crucis tanquam latro pependisti. Suscipe me misericors Deus, secundùm multitudinem miserationum tuarum. Nam latronem ad te currentem in Cruce moriens suscepisti. Ægrotus sum, infirmata est in paupertate vita mea, & ideò ad te Domine curro medicum, sana me Domine, & sanabor; & quoniam in te confido non erubescam, in te Domine speravi non confundar in æternùm.

AT quis ego sum pijssimè Deus, ut tam audacter loquar ad te, peccator sum, & in peccatis enutritus: cadaver putridum, vas fætidum, esca vermium. Parce mihi Domine, quæ enim victoria est, si pugnando mecum vinceres, qui minùs sum ante te, quàm stipula ante faciem venti. Dimitte omnia peccata mea & erige de stercore pauperem.

EXsurge & adjuva me Domine, exsurge, & ne repellas in finem: intret postulatio mea in conspectu tuo Domine, & fiat manus tua ut salvum me faciat. Ecce hominem! qui descendens ab Hiericho captus à latronibus & vulneratus, semivivus, relictus sum: tu pie Samaritane recipe me, peccavi nimis in vita mea, & malum coram te feci: à plantâ pedis usq; ad verticem capitis, non est in me sanitas.

CErtè nisi in ligno Crucis moriens me adjuvisses, digna erat habitare in inferno anima mea. Ego pie Jesu sum pars tanti pretij, pro me fudisti sanguinem tuum pretiosissimum, non me repellas à te. Ego sum ovis, quæ erravit, require eam bone Pastor, appone illam ovili tuo, ut justificeris in sermonibus tuis, nam promisisti mihi, quòd quâcunque horâ peccator ingemuerit salvus erit: dolens sum, iniquitates meas ego cognosco & delicta mea coram me sunt.

VErè non sum dignus vocari filius tuus, quia peccavi in Cælum & coram te, sed auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Averte faciem tuam à peccatis meis, dele iniquitates meas secundũ magnam misericordiã tuam. Ne projicias me à facie tua, neque secundùm peccata mea facias mihi, neque secundùm iniquitates meas retribuas mihi, sed adjuva me Deus Salutaris meus, & propter gloriam nominis tui libera me, benignè fac in bona voluntate tua, ut inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ, ut cum habitantibus in ea laudem te in æternùm.

O R A T I O.

A circumstantibus dicenda pro animam agentibus.

CHriste Jesu Crucifixe in unione ferventissimi amoris, qui te vitam omnium viventium in Cruce mori cepit; pulsamus ad medullam benignissimi cordis tui & rogamus, ut animæ famuli tui fratris nostri N. peccata omnia dimit-

tas, & tuâ sanctissimâ conversatione, & tuæ acerbissimæ passionis merito omissa ejus suppleas, eumq; superabundantissimam miserationum tuarum multitudinem facias experiri; nosq; omnes, & singulariter hunc fratrem nostrum N. quem proximè vocare disponis, placito tibi modo præpares, eiq; præstes, ut cum vera patientia, perfecta resignatione, plena peccatorum remissione, validissima fide, spe firma & integra charitate, in perfectissimo statu, in dulcissimum amplexum, & suavissimum osculum tuum feliciter ad tuam æternam laudem exspiret.

EJa dulcissime Redemptor Domine JESU, per illas lachrymabiles voces, quas in Cruce moriturus edidisti, & passionis doloribus consumptus, dixisti: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? nè quæso longè facias à famulo tuo fratre nostro N. tuæ miserationis auxilium, nam ille in hac hora & momento extremæ afflictionis præ defectione animæ & consumptione spiritus te invocare non valet. Per triumphum Sanctæ Crucis, & per mortis, passionisq; tuæ infinitum meritum, cogita Domine de eo cogitationes pacis, & non afflictionis, sed misericordiæ & consolationis. Libera eum de omnibus angustijs, tuisq; Sanctissimis manibus, quas prô eo, nobisq; omnibus in Cruce clavis affigi permisisti. JESU bone & amantissime Pater, erue eum à tormentis illi debitis, & perduc illum in requiem æternam. Amen.

I. Exercitatio ad curam bonæ mortis.

Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quasi flos agri; exsiccatum est fenum, & cecidit flos.

CHRISTUS. Ecce homo, quid est vita tua super terram? fenum hodie virens, cras arescens, ventus & umbra celeriter fugiens, fumus & vapor ad modicum parens. Audite hæc omnes gentes auribus percipite, qui habitatis or-

bem; quique terrigenæ & Filij hominum, simul in unum dives & pauper, juvenes & Virgines, senes cum junioribus audiant verba oris mei. Omnes enim vos una & immutabilis sententia mortis contingit, statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium; omnes vos, & citiùs quàm putatis, manifestari oportet ante tribunal meum, ut recipiat unusquisq; prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum. Talem autem unumquemque judico, qualem invenio dum eum per satellitem meum, id est, mortem cito ad tribunal meum.

LÆtare ergò juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum; sed scito, quòd pro his omnib⁹ adducet te Deus in judicium: quare si sapis maturè dispone domui tuæ; quia morieris & non vives: nec est cur viribus aut ætati fidas, nonnè vides juvenes quoque robustos & vegetos, imò pauperes & infantes quotidie mori, levi etiam sæpè ex causâ vel casu, vas fictile, sivè vitreum, sivè recens, sivè vetustum, æquè fragile est, si ceciderit in terram, frangitur. Frustra canos dies exspectas, quos major pars hominum non attingit.

HOMO. O Deus meus, tu creâsti hominem ad imaginem tuam, gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, & sic subitò in pulverem reduces me: & dùm adhuc ordior, succides me: memorare Domine, quæ mea substantia, nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? ecce morimur omnes, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

CHRISTUS. Quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi? sed esto longitudine dierum repleam eum; quid tandem erit? si an-

nis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit; nonne meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Transierunt enim omnia illa tanquam umbra; & tanquam navis quæ pertransivit aquam, cujus (cùm præterierit) non est invenire vestigium; ô felices, qui meminerunt se esse tanquam exules & peregrinos super terram, vel etiam sicut Oeconomos, & dispensatores se in hoc mundo constitutos, super bona Domini sui qui venturus est horâ, quâ minimè putatur, ut ponat rationem, cum servis suis.

Sed heu miseri! qui tanquam ego peregrè profectus sum, & serò rediturus sic luxuriantur in bonis meis, immemores temporis illius, quo citabo eos, ut reddant rationem villicationis suæ. Itanè homines in honore à me conditi non intelligunt, comparantur jumentis insipientibus, & similes illis fiunt; quasi sit unus utrorumq; interitus, & quasi homo nihil ampliùs habeat jumento, cùm ego creaverim eos ad imaginem & similitudinem meam, & addictos æternæ morti sanguine meo redemerim, ut mecum cæli hæredes fierent, ut quid ergò tanquam cæci in mortem currunt, & in æternum pereunt homines: empti à me pretio tam magno, propter quos ego veni, ut vitam habeant & abundantiùs habeant.

O quàm pauci, qui hæc seriò recogitent corde, & qui in his meditari ducant sapientiam. Quàm multi hominum quasi percusserint fædus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, dicunt; flagellum mortis inundans cùm transierit, non veniet super nos: sic nempè avertunt faciem suam nè videant in finem, non est timor Dei, nec cura mortis ante oculos eorum: ideo ducunt in bonis dies suos, & in momento ad inferos descendunt.

HOMO. Quid faciam tibi, ô custos hominum! Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Parce mihi Domine, nihil

hil enim ſunt dies mei. Quæ utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? Nunquid bonum tibi videtur, ſi opprimas me opus manuum tuarum? Sicciné dies mei velociores erunt curſore, fugient & non videbunt bonum? Itané velociùs tranſibunt, quàm à texente tela ſucciditur, ut conſumentur absq; ulla ſpe. Remitte mihi ut refrigerer, priusquàm abeam & ampliùs non ero.

Ars bene moriendi neceſſaria ſuper omnia.

CHRISTUS. Ego mortem non feci, ſed invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum, quia ejus operâ per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt. Itaq; ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, ſed hoc unicum tibi ſolatium relictum eſt, quòd ſicut in Adam omnes moriuntur, ita omnes in me vivificabuntur. Sed vide, ſi hoc beneficio meo frui cupis, ut non lædaris à morte ſecunda, quia mors peccatorum peſſima. Sed heu quid eſt hoc, quòd vita ejus ſpatium tam breve eſt? & quæ tota ne quidem ad neceſſaria, & inprimis ad debitam præparationem mortis ſufficere poteſt, in ſupervacua, & inania majori ex parte à plurimis mortalium impenditur.

Nonné ſi haberes ſolus annos omnes, dies, horas, & omne tempus, quo ſtetit & ſtabit mundus, ſimulq; omnem ſapientiam, & providentiam, induſtriam, ſed & omnes artes, opes, amicitias, favores, & quidquid opis aut commodi in terris unquam haberi poteſt, nonne illud omne meritò ad hoc convertere deberes, ut felix obtingeret tibi illud ultimum momentum, quod de tota æternitate

tua

tua statuet, à quo in perpetuum vel miser, vel beatus futurus es.

HOMO. Cùm me converto ad universa opera, quæ faciunt manus hominum, & ad labores, in quibus frustra sudant, video in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole. Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala universa esse sub Sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus, adeò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio; & qui addit scientiam, addit & laborem. O vanitas vanitatum! & omnia vanitas.

CHRISTUS. Ut quid igitur ita sollicitus es & occuparis erga plurima, quid juvat altum sapere? quid scrutari subtilia magis quàm utilia? quid ambulas in magnis & admirabilibus super te? Ecce unum est necessarium scire mori. Hæc verè est ars artium, & scientia scientiarum, qui hanc novit, parum ei oberit si nesciat cætera, qui verò hanc nescit parum ei proderit omnia alia novisse. Nonnè cætera omnia terram & brevem vitam spectant, hæc cælum, & immensam æternitatem.

Itaquè quoad vivis disce mori, idque tantò magìs, quia hujus artis non licet nisi unum experimentum capere, quod si malè successerit, postea non licebit errorem corrigere, in alijs quidem artibus, si quid per ignorantiam vel injuriam prima vice peccatum est, secunda facilè corrigitur. Hic semel tantùm erratur, & deinceps sera & inutilis pœnitentia est. Tunc enim clausa erit janua misericordiæ meæ, nec in æternùm supererit spes indulgentiæ, ubicunque ceciderit lignum, sivè ad Austrum, sivè ad Aquilonem, ibi erit: sapientissimus ille est, qui frequenter cogitat finem suum, & talis nunc esse nititur in vita, qualis cupit inveniri in morte. Quis sapiens, & custodiet hæc? verè enim, hæc magna sapientia est, seipsum

inſpicere, noſcere ſeipſum, ſcire inquam quid ſit homo habens corpus ex humo, & ſpiritum de cælo, & quòd illud per mortem revertatur in terram, de quâ ſumptum eſt; hic verò redeat ad Deum, qui dedit illum, ut recipiat prout geſſit in corpore, ſivè bonum, ſivè malum. Hæc meditare, in his eſto, inſta in illis mi homo, memorare noviſſima tua, & in æternùm non peccabis, nihil æquè tibi proderit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens meditatio mortis. Quomodo enim exaltabis cor tuum, aut mundè ſuperbies, qui pulvis & cinis es, & mox in pulverem reverteris. Num lubebit in delicijs feruere, & nutrire carnem tuam, quæ brevi hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Quomodò divitijs, honoribus, & vanitatibus ſæculi appones cor tuum, à quibus te forſan hodie vel hac nocte licet imparatum, & invitum ſeparabit amara mors. Et nunc quæ paráſti cujus erunt? ô quàm facilè contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe moriturum, utinam homines ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent.

HOMO. Agnoſco, Domine, quia breves dies hominis ſunt, & numerus menſium ejus apud te eſt, conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta domus omni viventi. Et quis ſum ego, ut reſpondeam tibi, & verbis meis tecum contendam? juſtus es Domine, ſi diſputem tecum, ſed ſi non iraſcaris ſuper orationem ſervi tui, unum rogabo te Domine, notum fac mihi finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt ut ſciam, quid deſit mihi, quot ſunt dies ſervi tui, quibus adhuc militabo ſuper terram, donec veniat immutatio mea.

Matura præparatio ad mortem.

CHRISTUS. Non eſt tuum, mi homo, ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Tuum eſt vigilare, attendere, & omni horâ paratum eſſe: latet enim ulti-

ma

ma dies, ut obſerventur omnes, quia nulla inter omnes eſt, quæ tibi ultima eſſe non poſſit. Tuum ergò eſt redimere tempus, & laborare dùm dies eſt, veniet enim nox, in qua nemo poteſt operari: tuum eſt ſatagere, ut per bona opera certam vocationem tuam facias. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; nimis inſipiens eſt, qui illos elabi ſinit, & alios ſibi promittit, interim circa inania, voluptates, & curas hujus ſæculi diſtinetur. Sed cur vis ſcire, quod tibi non expedit? Hoc ſcito, & habe pro certo, ſingulare bonitatis & miſericordiæ meæ argumentum eſſe, quòd voluerim mortis horam hominibus incertam eſſe. Si enim ſciretur, ô quàm multi hinc noxiæ ſecuritatis & ſomnolentiæ occaſionem caperent, & multò ſegniùs ſalutis ſuæ curam agerent, eamq; in extremam ætatem, & in mortis tempus reijcerent. Nonnè id modò poſſunt, ſi nec diem, nec horam, nec momentum habeant à morte ſecurum. Heu neſcit homo finem ſuum, & tamen finis curam negligit, unde ſicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.

Tu verò, ô homo, memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ. Sciens, quia bonum eſt homini, ſi portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua, timenti enim Deum bene erit in extremis, & in diebus defunctionis ſuæ benedicetur.

Vide ergò quomodo cautè ambules, non quaſi inſipiens, ſed ut ſapiens. Quæ verò major inſipientia, quàm cùm à brevi hujus vitæ momento tota pendeat æternitas, & in hora mortis de omni æternitate ſententia ferenda ſit, ut in perpetuam vel pœnæ, vel gloriæ deputeris, hujus tamen rei periculo tam parum providere. Omnia tua ſollicitè & diligenter curare, id unum, quod ſolùm & præ ceteris omnibus curæ eſſe debeat, negligere.

Quid necesse est homini majòra se quærere, cùm ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ & tempore, quod velut umbra præterit. O Filij hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & & quæritis mendacium? vērùm tamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur, anni ejus, sicut aranea meditabuntur, sicut enim illa multo labore texit telam suam, & eviscerat sese, & quid nisi viles muscas venatur, ita annos vitæ suæ consumunt homines, sed quo tandem fructu?

HOMO. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea, tanquàm nihilum ante te. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præterijt. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei: memento, quoniam ego advena sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.

CHRISTUS. Propterea hortor ego vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, & curis hujus sæculi, quæ militant adversus animam. Ecce peregrinus, non hæret in via, non deflectit ab itinere, ut carpat flores, & quærat delicias, & nugetur, & otietur, quin potiùs desiderio Patriæ & suorum, in itinere cæpto continuò pergit & properat. Si verò subinde quiescit, aut reficit corpus, id necessitatis potiùs est quàm voluptatis, ut denuò resumptis viribus alacriùs pergat & ambulet.

Tu fac similiter, & redime tempus à rebus istis vanis ac transitorijs, in quibus nil nisi vanitas & afflictio spiritûs, & rei super omnia seriæ ac necessariæ, id est, curæ bonæ mortis & beatæ æternitatis illud impende. Nescis enim, quàm diu subsistas, etsi post modicum tollat te factor tuus. Ergò quodcunque potest manus tua instanter operare, quia venit nox, in qua nemo potest operari, nec enim opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Nunc age quod

actum esse velles, cùm ampliùs agere non poteris; & non egisse cùm poteras, vehementer dolebis.

HOMO. O Domine, qui dives es in misericordia, angustiæ mihi sunt undique, nè derelinquas me; operi manuum tuarum porrige dexteram, & extrahe me de luto fæcis, ut non infigar, nam ecce de profundis clamo ad te; vitam quidem meam quotidie corrigere dispono, semper autem de die in diem differo, & dum hoc in futuro facere propono, fit ut illud futurum semper in futurum, imò fortè unquam futurum. Domine Jesu, quàm diu ponam consilia in anima mea? quæ utilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem? Illumina oculos meos, ut nunquam eos à conspectu mortis avertam, ut instantia pericula videam, nec unquam obdormiam in mortem, nè quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum.

CHRISTUS. O si nosses quantopere hominis jam morituri mentem cruciet memoria temporis, olim tam inutiliter perditi, ô si quoque damnatorum in suis tormentis angustias, querimonias, & ejulatus, sed heu! inanes videre posses, quid putas consilij caperes? Ecce hoc unum illi deplorant maximè, quòd cùm tam horrendos cruciatus brevi & facili labore redimere potuissent, attamen mortis immemores hæserint in rebus inanibus; & interim tempus comparandi oleum in vasis suis, occasionem bonorum operum, & dies salutis neglexerint. Duxerunt illi quoque, velut multi hodie, in bonis dies suos, at quàm breves & paucos, & in puncto ad inferos descenderunt, ubi jam miseri torquentur sine fine. O felicem te si sapias damno alieno, aspice divitem Epulonem, illic non jam ampliùs in delicijs splendidè epulantem, sed miserè ejulantem. Quis vestrum sortem divitis olim non optâsset potiùs quàm pauperis Lazari, cùm iste in delicijs, hic verò in fame & angustia viveret? sed ecce jam omnes Lazarum felicissimum prædicant, Epulonem mi-

ferrimum vituperant. Hic quidem, dûm alter eorum recipit bona in vita sua, alter autem mala; discrimen non agnoscis: quin miraris etiam & conturbaris, Sed tace donec intres in Sanctuarium Dei, & intelligas in novissimis eorum.

HOMO. O quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde, sed & justus es Domine, & rectum judicium tuum. Cur verò dissimulem? (scrutaris enim cor & renes meos) sæpè moti sunt pedes mei, penè effusi sunt gressus mei, dùm zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum. Nunc verò misericordiam & judicium cantabo tibi Domine, quia in tempore suo reddis unicuiq; secundùm opera sua.

CHRISTUS. Sed quomodo, cùm tam sit dispar amborum exitus, & tibi etiam nunc detur optio inter sortem utriusq; quomodo inquam, qui cupis esse felix cum Lazaro, vitam tamen eligis Epulonis, cùm lautè & molliter nutris carnem tuam, & sæpiùs viles bestias impensiùs curas, quàm homines famelicos & inopes?

Sed heus, si ego misero isti ex singulari gratia reditum in vitam concederem, putas, rediret indueretur purpurâ, & bysso, aut epularetur quotidie splendidè? Lazarum jacentem ad fores domûs suæ negligeret? Verè dico tibi in cinere & cilicio potiùs pœnitentiam ageret, nullum temporis punctum sine fruge, & seria salutis cura elabi sineret, imò quidquid unquam in toto mundo cruciatuum & laborum excogitari posset, id omne solus subire mallet, ne rediret ad locum istum tormentorum, ubi jam tot centenis annis æstuanti linguæ suæ, vel unam aquæ guttulam optat, & per infinitas annorum myriades optabit, sed nunquam obtinebit.

Quis hominum, hæc audiens non timeret, & timendo respiceret? Quis poterit habitare de vobis cum illo igne devoran-

rante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? verè hoc stupendum, super omnia stupenda, credere æterna ita supplicia peccatoribus parata, & nihilominus adeò securè vivere in peccatis, & tam audacter in eo statu morari, in quo mori non auderes; in morte totius æternitatis exspectare sententiam, nec tamen maturiùs de bona morte solicitum esse. Quis ita fascinavit oculos vestros nè videant in finem? nàm quotusquisque vestrum talis modo esse curat, qualis inveniri in morte optat, cùm citabitur ad supremum Tribunal meum? & tamen nescis an id cras, vel hodie, an hac ipsa hora futurum sit.

O! quot parabolis, quot minis & monitis, ego docui vos vigilare, attendere, paratos esse. Quid verô tot exempla hominum, omnis ætatis, sexus, conditionis, in dies passim ante oculos vestros morientium? quid tot subiti casus? tot febres & morborum genera? quid clamant hæc omnia? nisi vigila, esto paratus, dispone domui tuæ, quia morieris; memento morieris. Memento accidere tibi posse, quod cuipiam potuit? Hodie, si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad me, & miserebor ejus; quia nunc tempus miserendi, nè forte mox sit puniendi.

HOMO. Justus es Domine, sed parce mihi, si ut minùs sapiens loqnar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Nunquid voluntatis tuæ est mors impij? nonnè tu dixisti? nolo mortem peccatoris; &, impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua. Et iterum; Quod venerit ad me, non eijciam foras. Quid si ergò vel serò & sub vesperam, circa undecimam horam venero, an me reijcies? Quid si vel jam jam moriturus pœnitentiam egero de peccatis meis, cor contritum & humiliatum an despicies?

CHRI-

CHRISTUS. Quid hoc audio, & tu quasi unus de insipientibus loqueris, & declinas cor tuum in verba malitiæ ad excusandas dilationes in peccatis? Tuné peccare vis, quàm diu vivis, & pœnitere primùm jam moriturus? Hocné est pœnitere, si desinas peccare, cùm ampliùs non potes? cùm peccandi vires deficiunt, cùm te peccata potiùs deserunt, quàm tu illa? Quæ ista emendatio? vitam mutare velle in meliùs, cùm jam vivere desinendum est? At nimiùm falleris, ego quidem pœnitenti promisi veniam, sed differenti in crastinum vitam non promisi.

Ut autem probè scias & caveas tibi, hæc est pœnitentia, quæ mei causâ, seu ex amore mei deplorat & deserit peccata, adeò quidem ut è centum moribundis, qui eò, usque pœnitentiam differunt, vix unus aut alter verè pœniteat. Illa enim nascitur non ex amore, dolent quippe, non quòd me offenderint, sed quòd damnationem jam imminentem timeant, quam si una cum morte possent evadere, non timerent ad vomitum & pristina peccata redire. Quomodo ergô dicitur verè in morte pœnitere, qui vult, nec timet, quàm diu vivit, peccare.

Nolo ego quidem mortem peccatoris, nolo te aut quemvis peccatorem desperare; quàm diu vivit. At ego te periculi admoneo, & volo te securiora eligere, nam plurimi tunc pereunt, paucissimi verè pœnitent. Et quomodò tu præsumere audes inter tam paucos te quoq; futurum. O si videre posses quàm multa homini, præsertim peccatori, circa mortem occurrant, quæ difficilem reddunt veram pœnitentiam. Hinc enim ægrum vis morbi premit, illinc angit conscientia, & peccatorum enormitas, quàm tunc primùm longè manifestiùs, quàm unquam antea conspicit. Hinc temporis præteriti tam inutiliter in rebus inanibus consumpti recordatio pungit ac lacerat conscientiam; illinc tremor futuri etiam instantis, quo de omnibus dictis, fa-

ctis, cogitatis, reddenda erit ratio: cruciant hinc diaboli peccata exaggerantis, & ad desperationem impellentis insidiæ, illinc metus judicis, & horror inferni sic obruunt miserum, ut nil nisi sæva præsumat perturbata conscientia, nil nisi justa judicia mea, cum desperatione veniæ cogitare valeat. Aspicit enim peccata sua absque respectu misericordiæ meæ, quam illi tunc quoq; extenuare, aut prorsus abscondere nititur malignus spiritus.

Quid putas tunc spei vel animi reliquum erit misero homini? videt jam relinquenda omnia, quæ in vita suavia & cara fuerunt, & nihil ampliùs solatij vel auxilij ab ijs sperari posse, peccatorum memoria terret, hora reddendæ rationis instat, immutabilis sententiæ horror exanimat; fugere seu latere impossibile, comparere nimis intollerabile. Si ad vitam præteritam reflectat oculos, totum ejus curriculum quasi momentum temporis apparet. Si ad futurum, id est, ad æternitatis infinitum spatium respicit, heu quis dolor, tam modico momento & rebus tam inanibus beatitudinis æternæ jacturam fecisse! Hæc omnia ita hominem perturbant, ut vix salutari alicui cogitationi locus sit reliquus, unde fit ut sæpè etiam præveniat judicium meum; damnans seipsum, eò quòd non cognoverit tempus visitationis suæ, & sic desperans abeat in viam Cain, dicens: major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.

HOMO. Anxiatus est, Domine, super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum, sed & conturbata sunt omnia ossa mea à turbine sermonis tui. O quàm horrendum erit incidere in manus DEI viventis! Quis poterit sustinere vocem tonitrui tui magni in die illa tremenda? nec enim cogitare licet, quòd solùm ad terrendum me, verba componis inania. Quis verò statum morientis meliùs novit, quàm tu? O bone JESU, da mihi ut præoccupem faciem tuam in confes-

sione, & diem extremum, maturâ pœnitentiâ præveniam; ne tribulatio & angustia illius horæ inveniat me.

CHRISTUS. Ideo jam hortor te, ne differas. Quin dicis? nunc cæpi. En audis hodie vocem meam, ne obdures cor tuum, ne differas in crastinum, qui nescis an cras subsistas, multò minùs differ in horam mortis; sed nec etiam in tempus morbi. Nam & illud nimis ineptum est, ut congruè te morti præpares, tunc enim & animi & corporis vires languent doloribus, & alijs, quas morbi pariunt, molestijs, animus ita sæpè obruitur, ut quæ ad bene moriendum pertinent vix levitèr cogitare, nedum seriò ponderare sufficiat.

Quàm sæpè vidisti ægros delirio correptos, & usu rationis prorsus destitutos, nihil potuisse disponere eorum, quæ vel ad præsens sæculum, vel ad futurum spectarent? Experientia quoque teste scis, si quis dentium, oculorum, calculi, vel alio dolore acuto crucietur; etiamsi alias bonus & pius sit, quàm difficile tunc ei sit ad animum redire. Nimirùm illuc rapitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris, & quid putas in morte fiet? Hæc fidelitèr, & amore tui prolixiùs inculco tibi, mi homo, ut non differas de die in diem negotium salutis tuæ, nec curam bonæ mortis in horam mortis reijcias. Cur periculum eligis, ubi offertur securitas? cur vis rei tam incertæ & dubiæ, causam, quâ nulla gravior & periculiosior, id est, animæ & æternitatis tuæ committere, qui alias omnibus in rebus certiora quæque, & magis secura tam sollicitè perquiris? Ecce nunc offero tibi gratiam meam: si respuis, fortè alias justè negabitur: nonne hac animaduersione meritò percutitur peccator, ut moriens oblivìscatur sui, qui vivens oblitus est mei. Nam quomodo audes me tibi in morte propitium polliceri, quem sic contempseris in vita.

Intelligite hæc insipientes in populo, & stulti aliquando

ſapite. O ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem & ſalutem tibi; ô ſi modò tempus miſericordiæ & gratiæ meæ non in vacuum reciperes! aderit enim & fortè in die, quâ ignoras; & horâ, quâ non ſperas; aderit inquam tempus juſtitiæ meæ, tunc quidem ſi bene egeris, recipies: ſi autem malè, quid mirum? ſi reddam tibi ſecundùm opera tua. Sed tunc fruſtra rogabis inducias usque mane, fruſtra clamabis cum illo ſcelesto ad Dominum, à quo miſericordiam non es conſequuturus. Nam quoties vocavi ego te, & renuiſti, deſpexiſti omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſti. Nonne meritò ego quoque in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo, cùm id, quod timebas, advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper te tribulatio & anguſtia. In vita quidem ſerviviſti mundo, carni, & voluptatibus; in die anguſtiæ tùm demum recurres ad me. Nonne impudentiæ eſt ad eum, in neceſſitate confugere, quem in proſperitate contempſiſti: quid ſi tunc dicatur tibi, ubi jam ſunt dij tui, in quibus habebas fiduciam? ſurgant & opitulentur tibi, & in neceſſitate te protegant. Nonne æger facilem & officioſum in morbo medicum experiri ſolet, quem ſanus obſequijs & muneribus ſibi devincere ſtuduit, at ſi contumelijs & injurijs eum affecerit, quid putas, exſpectabit ab illo: an non vides quotidie cùm judicium exſpectatur, de rebus etiam minimis litigantes, quietem nullam capere, ſed nunc Advocatos adire, nunc Procuratores, nunc Judices, nunc iſtorum cognatos, amicos, vel affines, & eorum emendicare opem & favorem. Et homo, cujus cauſa graviſſima, id eſt, de vita vel morte æterna pendet coram Summo Judice, quaſi ſecurus agit, & de præſidijs cauſæ ſuæ parum curat, vide quid fatuas illas Virgines excluſerit regno cælorum; dormitarunt, tardarunt, oleum quærere neglexerunt, aut ſeriùs à prudenti-

bus petierunt, & sic audiverunt. Nescio vos, at quæ maturiùs paratæ erant, intraverunt cum Sponso suo ad nuptias, cur & tu ó homo non vigilas? cur non tempestivè sollicitaris pro Patrocinio apud Electos meos, qui & ipsi sedebunt mecum, judicantes tribus Israel? Cur præcipuè non concilias tibi dilectissimam Matrem meam? quæ potens est apud me Patrocinio suo. Non enim æquum est, ut quidquam denegem Matri meæ, ut sic invenias gratiam in oculis meis. Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat: qui habet aures audiendi, audiat; nec proijciat hosce sermones meos retrorsum, ne secundùm duritiam suam & impœnitens cor thesaurizet sibi iram in die iræ justi judicij mei, utinam homines saperent & intelligerent, & novissima providerent.

HOMO. Heu cæcitas & duritia cordis mei, qui hæc frequenter audio, & tamen adhuc languidè me gero in tam arduo & periculoso negotio! utinam, Domine, vivus sermo tuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingat intima mea, usq; ad divisionem animæ & spiritûs, utinam operetur in me sicut operatus est in Sanctis & Electis tuis, quorum mors pretiosa fuit in conspectu tuo, unde inebrias ab ubertate Domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potas eos. O beati, qui habitant in domo tua Domine, & in sæcula sæculorum laudabunt te! ô beati mortui, qui in Domino moriuntur! utinam moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.



PAS-



PASSIO
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *Secundum Matthæum.*

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Scitis, quia post biduum pascha fiet; & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem, non in die festo, nè fortè tumultus fieret in populo. Cùm autem Jesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super Caput ipsius recumbentis. Videntes autem Discipuli indignati sunt dicentes: ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus. Tunc abijt unus de duodecim, qui dicitur Judas Iscariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. Prima autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit; ite in Civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constitu-

n illis Jesus, & paraverunt Pascha: vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis, & edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cœperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine? At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet: Filius quidē hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: nunquid ego sum Rabbi? ait illi: tu dixisti. Cœnantibus autem eis accepit Jesus Panem, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum, in regno Patris mei. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim; percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis; ait illi Petrus: etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes Discipuli dixerunt. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit Discipulis suis: sedete hîc donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cæpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hîc & vigilate

gilate mecum. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste; verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum? vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterùm secundò abijt, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis iterum abijt & oravit tertiò, eundem sermonem dicens. Tunc venit ad Discipulos suos, & dixit illis: Dormite jam & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum: & confestim accedens ad JESUM dixit: Ave Rabbi: & osculatus eum, dixitq; illi JESUS: Amice ad quid venisti? Tunc accesserunt & manus injecerunt in JESUM, & tenuerunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum JESU, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi JESUS: converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergò implebuntur Scripturæ, quia sic oportere fieri? In illa hora dixit JESUS turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me, quotidie apud vos se-

debam

debam docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi tenentes JESUM duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi Scribæ & Seniores convenerant. Petrus autem sequebatur eum à longè, usque in atrium Principis Sacerdotum, & ingressus intrò sedebat cum ministris, ut videret finem. Principes autem Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra JESUM, ut eum morti traderent, & non invenerunt; cùm multi falsi testes accessissent: novissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: hic dixit. Possum destruere Templum DEI, & post triduum reædificare illud. Et surgens Princeps Sacerdotum, ait illi: nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? JESUS autem tacebat, & Princeps Sacerdotum, ait illi; adjuro te per DEUM vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius DEI. Dicit illi JESUS, tu dixisti. Verùmtamen dico vobis, àmodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus Cæli. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt. Alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla dicens, & tu cum JESU Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, videt eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi. Et hic erat cum JESU NAZARENO. Et iterùm negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela

tua

tuâ manifestum te facit. Tunc cæpit detestari & jurare, quia non novisset hominem, & continuò gallus cantavit; & recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priusquàm gallus cantet, ter me negabis; & egressus foras flevit amarè. Manè autem facto consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Judas, qui tradidit eum, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus dicens: peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt, non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio enim inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: & acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Jesus autem stetit ante Præsidem, & interrogavit eum Præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? dicit illi Jesus: tu dicis. Et cùm accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: non audis, quanta adversum te dicunt testimonia, & non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. Per diem autem solennem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim

quòd per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens. Nihil tibi, & justo illi. multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, JESUM verò perderent. Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de JESU, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magìs clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magìs tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam, JESUM autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Tunc milites Præsidis suscipientes JESUM in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectētes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret Crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & su-

per vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servabant eum. Et imposuerunt super Caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum DEI, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si Filius DEI es, descende de Cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est, descendat de Cruce, & credimus ei: confidit in DEO: liberet nunc, si vult, eum: dixit enim: Quia Filius DEI sum. Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit JESUS voce magna: dicens: Eli, Eli, lammasabacthani: hoc est: DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. JESUS autem iterùm clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes JESUM, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè Filius DEI erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant JESUM à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Ja-

ria Iacobi & Ioseph Mater, & Mater filiorum Zebedæi. Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse Discipulus erat Iesu. hic accessit ad Pilatum, & petiit Corpus Iesu. Tunc Pilatus jussit reddi Corpus. Et accepto Corpore, Ioseph involvit illud in Sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum. Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia Seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne fortè veniant Discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis, & erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodire sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

P A S S I O
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,
Secundùm Marcum.

IN illo tempore: Erat Pascha & Azyma post biduum; & quærebant summi Sacerdotes & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Et cùm esset Jesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super Caput ejus. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentum istud venundari

plus

plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me, semper enim pauperes habetis vobiscum; & cùm volueritis, potestis illis bene facere: me autem non semper habetis. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere Corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: ubicunq; prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo; & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. Et Iudas Iscariotes unus de duodecim, abijt ad summos Sacerdotes, ut proderet eum illis. Qui audientes gavisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et mittit duos ex Discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicite Domino domus, quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cænaculum grande, stratum: & illic parate nobis. Et abierunt Discipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis: & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cæperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego? Qui ait illis: unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non natus esset homo ille. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis:

& biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in Regno Dei. Et hymno dicto exierunt in Montem Olivarum. Et ait eis Iesus: Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta; quia ſcriptum eſt: Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille ampliùs loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait Diſcipulis ſuis: Sedete hîc donec orem. Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſecum: & cæpit pavere, & tædere. Et ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate. Et cùm proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram: & orabat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora: & dixit: Abba Pater: omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuiſti unâ horâ vigilare? Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma. Et iterùm abiens oravit, eumdem ſermonem dicens: Et reverſus, denuò invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei. Et venit tertiò, & ait illis: Dormite jam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. ecce qui me tradet, propè eſt. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladijs & li-

gnis, à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus. Dederat autem traditor ejus signum eis dicens, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi Sacerdotis: & amputavit illi auriculam. Et respondens IESUS, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. Tunc Discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus Sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille rejecta Sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt IESUM ad summum Sacerdotem: & convenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores. Petrus autem à longè secutus est eum, usque intrò in atrium summi Sacerdotis: & sedebat cum Ministris ad ignem, & calefaciebat se. Summi verò Sacerdotes, & omne concilium, quærebant adversus IESUM testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: & convenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit IESUM, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius DEI benedicti? IESUS autem dixit illi: Ego sum: & videbitis Filium hominis seden-

tem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis cædere, & dicere ei: Prophetiza: & Ministri alapis eum cædebant. Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi Sacerdotis: & cùm vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exit foras ante atrium, & gallus cantavit. Rursus autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro: verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cæpit anathemarizare, & jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis Et statim gallus iterùm cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Priùs quàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. Et confestim manè consilium facientes summi Sacerdotes, cum senioribus & Scribis, & universo concilio, vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Pilatus autem rursùm interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. Iesus autem ampliùs nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum?

orum? Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterùm respondens, ait illis: Quid ergò vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterùm clamaverunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret Crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum: quòd est interpretatum Calvariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum à dextris, & alium à sinistris ejus. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas; salvum fac temetipsum descendens de Cruce. Similiter & summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de Cru-

ce, ut videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lammasabathani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem emissa voce magna expiravit. Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longè aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph Mater, & Salome: & cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. Et cùm jam serò esset factum (quia erat parasceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat exspectans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. Et cùm cognovisset à centurione, donavit Corpus Joseph. Joseph autem mercatus Sindonem, & deponens eum involvit Sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph, aspiciebant ubi poneretur.





PASSIO
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,
Secundum Lucam.

IN illo tempore: Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo JESUM interficerent: timebant verò plebem. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim, & abijt, & locutus cum Principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domûs: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt Pascha. Et cùm facta est hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemo-

morationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat: nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergò eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis: Satis est. Et egres-

egressus ibat secundùm consuetudinem in Montem Olivarum. Secuti sunt autem illum & Discipuli. Et cùm pervenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens: Pater si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia; prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad Discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba; & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis servum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi, & seniores. Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus? Cùm quotidie vobiscum fuerim in Templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis Sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longè. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & cum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier non novi illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O ho-

mò non ſum. Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus flevit amarè. Et Viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt eum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergò es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus. Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil invenio cauſæ in hoc homine. At illi invaleſcebant, dicentes: Commovet populum, docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Jesu, gaviſus

sus est valde. erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die; nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus autem convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos; Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emēdatum ergò illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate & homicidium, missus in carcerem. Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere JESUM. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergò illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: JESUM verò tradidit voluntati eorum. Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi Crucem portare post JESUM. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conversus autem

ad illas JESUS, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris. JESUS autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est REX JUDÆORUM. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times DEUM, quòd in eadem damnatione es. Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad JESUM: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi JESUS: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol; & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna JESUS ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit DEUM, dicens: Verè hic homo justus erat. Et omnis turba

turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora sua, revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres, quæ secutæ erant eum à Galilæa, hæc videntes. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus & justus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse Regnum Dei. hic accessit ad Pilatum, & petijt Corpus Jesu: & depositum involvit Sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat Corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

P A S S I O
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,
Secundum Joannem.

IN illo tempore: Egressus est Jesus cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse & Discipuli ejus: sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum Discipulis suis. Judas ergò cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis: ut ergò dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterùm ergò eos interrogavit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis

quia Ego sum: Si ergò me quæritis? sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergò Petrus, habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis Sacerdotum servum, & abscidit auriculam ejus dexteram: erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergò Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? Cohors autem & Tribunus, & Ministri Judæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm: erat enim Socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius Discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergò Discipulus ille qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergò Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex Discipulis es hominis istius. Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi & Ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Pontifex interrogavit Iesum de Discipulis suis, & de doctrina ejus. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, unus assistens Ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergò

ei:

ei: Nunquid & tu ex Discipulis ejus es. Negavit ille, & dixit: Non sum. Dixit ei unus ex servis Pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam. Nonnè ego te vidi in horto cum illo. Iterùm ergò negavit Petrus: & statim gallus cantavit. Adducunt ergò IESUM à Caipha in prætorium, erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergò Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc. Responderunt & dixerunt ei: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergò eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergò ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo IESU impleretur, quem dixit significans, quâ morte esset moriturus. Introivit ergò iterùm Pilatus in prætorium, & vocavit IESUM, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum. Respondit IESUS: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum. Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit IESUS: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset Regnum meum, Ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergò Rex es Tu. Respondit IESUS: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas. Et cùm hoc dixisset, iterùm exivit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam, est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergò dimittam vobis Regem Iudæorum, clamaverunt rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergò apprehendit Pilatus IESUM, & flagel-

flagellavit, & milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt Capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exivit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam causam invenio. (Exivit ergò Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum,) & dicit eis: Ecce Homo. Cùm ergò vidissent eum Pontifices & Ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cùm ergò audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, & ingressus est prætorium iterùm, & dicit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ei ergò Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te. Respondit Iesus: Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro Tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem Parasceve Paschæ quasi hora sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Tunc ergò tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha; ubi crucifi-

xerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem IESUM. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Hunc ergò titulum, multi Iudæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus, ubi crucifixus est IESUS, & erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quòd scripsi, scripsi. Milites ergò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit; ut scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabat autem juxta Crucem Mater ejus, & Soror Matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergò IESUS Matrem & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua. Postea sciens IESUS, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergò positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus. Cùm ergò accepisset IESUS acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato Capite, tradidit spiritum. Iudæi ergò quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergò milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad IESUM autem cùm venissent, ut viderũt eum jam mortuũ, non fregerunt ejus crura: sed

unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterùm alia Scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt. Post hæc autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, (eò quòd esset Discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) ut tolleret Corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergò, & tulit Corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergò Corpus Iesu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergò propter Parasceven Iudæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

SUPPLICATIO

Pro communibus Reipublicæ Christianæ necessitatibus.

OMnipotens, sempiterne Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; ad te nos miseri peccatores, in angustijs & necessitatibus nostris humiliter confugimus. Etenim gravibus miserijs & calamitatibus populus Christianus premitur, varijs plagis & tribulationibus affligitur, sectæ & hæreses turbant Ecclesiam, rebelliones adversus Magistratus tam ecclesiasticum, quàm civilem excitantur, bella, seditiones, tumultus, innoxij sanguinis effusiones, per universam Christianam Rempublicam passim grassantur, adeoqué multæ animarum myriades pretiosissimo Sanguine Unigeniti tui Iesu Christi redemptæ, temporalis pariter ac æternæ salutis jacturam, miseræ patiuntur.

Nos verò quid dicemus ad hæc? ô Summe Deus! Iustus es Domine, & rectum judicium tuum, omnia, quæ nobis immittis adversa, non nisi justissimæ iræ tuæ flagella esse agnoscimus; visitas enim in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, quibus divinam Majestatem tuam tam graviter offendimus, peccavimus in cælum, ô Domine, & malum coram te fecimus, unde indignos nos quoque fatemur, qui compareamus ante conspectum tuum, aut oculos nostros in cælum ad te levemus.

Verùm ô Domine noli sic attendere malitiam nostram, ut obliviscaris bonitatem tuam; Iustus quidem es Domine, sed miserationes tuæ super omnia opera tua. Si enim iniquitates observaveris, quis sustinebit? Mitiga ergò Clementissime Deus rigorem justitiæ tuæ, & non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed secundum multitudinem miserationum tuarum, averte faciem tuam à peccatis nostris.

Pœnitet nos tam graviter in te peccasse, & indignationem tuam tam enormiter in nos provocasse, ideoq; corde contrito & humiliato, ad Thronum gratiæ & bonitatis tuæ confugimus, & coram te, non quidem nostris meritis, sed tuis multis miserationibus confidentes, humillimè procumbimus, petimusq; ut avertas iram tuam à nobis, & non tradas bestiis animas confitentium tibi, neque sanctam, & electam hæreditatem tuam, propter transgressiones nostras, hostium faucibus objici patiaris.

Respice in faciem Christi tui, qui illam sibi effusione pretiosissimi sanguinis sui acquisivit, memor esto promissionis tuæ, & fœderis tui, quod cum electis tuis inijsti, quodq; per pretiosissimam dilectissimi Filij tui Iesu Christi Redemptoris nostri mortem & purpureum ejus sanguinem consignatum est. Respice ad honorem nominis tui, quod super sanctam civitatem

tuam,

tuam, & populum tuum invocatum eſt, quodq; in eodem agnoſcitur & collaudatur, at verò ab inimicis tuis per ſummum nefas violatur, deſpicirur & profanatur. Quia verò ex nobis ipſi digni haud ſumus, qui clementiæ tuæ curam & opem ſentiamus, ſaltem oſtende nobis miſericordiam tuam, propter temetipſum, ô Domine, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propter inexhauſtum bonitatis tuæ fontem, propitius eſto peccatis noſtris, moveat te quæſumus amor ille, qui te movit ut Filium tuum Unigenitum nobis redimendis totum impenderes.

Per hunc ipſum Filium tuum IESUM CHRISTUM rogamus, per acerbiſſimam paſſionem ac mortem ejus, per merita quoqué & patrocinia dilectiſſimæ Matris ac Virginis MARIÆ, omniumqué Electorum tuorum; inclina aurem tuam, & exaudi clamorem noſtrum; aperi oculos tuos, & vide afflictionem populi tui; hoſtium tuorum doloſa, & ſuperba conſilia deſtrue, quibus indeſinenter lethiferum animarum virus ubiq; ſpargere, & vitam, religionem noſtram funditus evellere conantur. Leva manus tuas in ſuperbias eorum, qui ſuper populum tuum malignaverunt conſilium, & cogitaverunt adverſus ſanctos tuos, ne forte dicant in gentibus, ubi eſt DEUS eorum? ſed cognoſcant, quoniam tu adjutor & protector noſter es? ulciſcens in omnes adinventiones eorum. Reſpice de cælo ſancto tuo, & hominum corda fraude diabolica in varias ſectas miſerabiliter diſtracta in unione fidei paciſque conjunge. Provide Eccleſiæ tuæ totiqué Reipublicæ Chriſtianæ Prælatos fideles & irreprehenſibiles, ſub quorum fide ac tutela, in exteriore tranquillitate, Sanctum Nomen tuum invocare & prædicare poſſimus.

Præſerva nos à gravibus & inteſtinis bellis, ſeditionibus & tumultibus, & iniquiſſima innocentum cæde. Da omnibus Chriſtianis Principibus, Regibus, Monarchis, veram ac ſinceram

inter

inter se concordiam, adde impavidum infractumvé animum, ut Ecclesiam tuam, totamq; RempublicamChristianam constātissimè defendant, ac tandem de hostibus fidei gloriosissimè triumphent.

E contra verò effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; & in regna, quæ Nomen tuum non invocaverunt; quæ venerunt in hæreditatem tuam, & polluerunt Templum Sanctum tuum. Exurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, dissipa gentes, quæ bella volunt, hostilesq; conatus in nihilum redige, ut ab omnibus inimicorum insidijs, bellorumq; molestiis liberi, & in protectionis tuæ securitate constituti, in tua semper laude perseveremus.

Sed quia gratiæ tuæ muneribus indigni per peccata efficimur, excita in nobis timorem tuum, & honorem Nominis tui, ut ab omni peccato diligentissimè caveamus. Illumina nos per virtutem Spiritûs S. & dirige gressus nostros in semitis tuis, ut non tam nostris viribus, quàm tuis subsidijs innixi viam mandatorum tuorum inoffenso pede curramus, donec metam ipsam & præmia, quæ parasti diligentibus Te, assequamur. Per unigenitum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum, & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOROLOGIUM PASSIONIS CHRISTI.

VESPER.

SExta, pedum sordes Christum est mirata lavantem:
  O animi sordes ablue Christe mei!
Septima vivifici dat mystica fercula panis:
  Mystica sæpè meam pascite fercula famem!
Octava ardenti miscet prece sanguinis imbres;
  In precibus glacies quàm riget alta meis!

Nona capit, captumq; Annæ conſpectibus offert:
Quis mihi det Domini vincula ferre mei?

N O X.

NOcte DEUM tota, carcer, milesq; fatigat:
Chriſte labor pro te quis mihi durus erit?

M A N E.

QUarta DEUM pugnis, ſputisq;, probrisq;, laceſſit:
Chriſte probrum pro te ſit mihi ſolus honor!
Quinta Pontificum damnatur vocibus inſons:
Et lex humanum ſit mihi judicium!
Subijcit immeritum cenſuræ ſexta Pilati,
Et cenſura reo ſit mihi juſta gravis?
Septima Idumæo fatua eſt & ſapientia Regi;
Deſipe pro Chriſto, ſic ratione ſapis.
Octava JESUM poſtponit turba Barabbæ:
Parce DEUS! turbæ pars ego magna fui.
Nona flagris corpus, caput hirto ſente cruentat.
Hoc duce mille meis vulnera nulla gero?
Damnat ad immitem decima inclementia mortem,
Ah fuit hæc noxis debita pœna meis!
Bajulat undecima, quod mox ſubit Hoſtia, lignum,
In Cruce grata tibi victima Chriſte cadam.

M E R I D I E S.

HOſtibus & dextro parcit bis ſexta latroni:
Æternent animo livor & ira meo?
Prima pio Matri Joannem fœdere nectit:
Fœdere in hoc utinam me quoq; ſcribat amor.
Ora ſecunda DEI ſitientia potat aceto.
Vah gula! quæ miſces talia pocla DEO?

Aucto-

Auctorem vitæ morientem tertia luget:
Vivam ego, dùm video te mea vita mori?
Quarta salutifero cor Jesu vulnere pandit:
Mens requiesce isto cordis in hospitio!
Victorem mortis componit Quinta sepulchro:
Ut vivas memori pectore conde Deum.

OFFICIUM
DE
B. JOANNE CANTIO.

Sacræ Theologiæ Doctore, & in Alma Academia Cracoviensi Professore.

AD MATUTINUM.

DOmine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja.

A septuagesima usq; ad Pascha, loco Alleluja, *dicitur.* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

VEnite Patris Luminum,
Canatis ut præconia.
Laudetis una Cantium,
Oris suavis gratia.
Uni Deo sit gloria,
Virtus honor laudatio.

Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes Canti,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O r e m u s.

DEus tuorum gloria Sanctorum, præsta quæsumus, ut per intercessionem B. Joannis Cantij ab omnibus liberemur malis animæ & corporis, & ad vitam perveniamus sempiternam. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

H y m n u s.

HUnc Mater Universitas,
Lauro coronat Filium,
Hoc summa vitæ Sanctitas,
Cœlo reponit Lilium.
Uni Deo sit gloria,
Virtus honor laudatio.
Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis B. Joannes Canti,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio *ut supra in Matutino.*

AD TERTIAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

H y m n u s.

HInc Matris inter Ubera,
Nectar Salutis concipit,
Hinc Filij inter Vulnera,
Cæleste Manna percipit.

Uni

Uni Deo sit gloria,
Virtus honor laudatio.
Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes Canti,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio *ut supra in Matutino.*

AD SEXTAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

EFfracta testæ pristinæ,
Dat Vasa plastes optimus,
Ne fallat aurum sarcinæ,
Reddit libens prædonibus.
Vni Deo sit gloria,
Virtus honor laudatio.
Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes Canti,
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio *ut supra in Matutino.*

AD NONAM.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut supra.*

HYMNUS.

IGnitus alter Helias,
Oris prophetiæ sui
Obtemperantes flammulas
Habet pioque nutui.
Vni Deo sit gloria,
Virtus honor laudatio.

Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis B. Joannes Canti,
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio *ut ſupra in Matutino.*

AD VESPERAS.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut ſupra.*

Hymnus.

QVa Pauperem nudum tegit,
Veſtem reportat cælitùs,
Fugat ſuperbos & regit,
Demiſſione Spiritus.
Vni Deo ſit gloria,
Virtus honör laudatio.
Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.

℣. Ora pro nobis B. Joannes Canti,
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio *ut ſupra in Matutino.*

AD COMPLETORIUM.

COnverte nos Deus ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium meum intende, &c. *ut ſupra.*

Hymnus.

MOrtis, vitæque arbiter,
Orationibus ſuis
Ægris ſalutem, largiter
Vitam refundit mortuis.
Vni Deo ſit gloria,
Virtus honor laudatio.

Per

Per quem manet Cracovia,
Felix Joanne Cantio.
℣. Ora pro nobis B. Joannes Canti,
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

O R E M U S.

DEus, tuorum gloria Sanctorum, præſta quæſumus, ut per interceſſionem B. Joannis Cantij ab omnibus liberemur malis animæ & corporis, & ad vitam perveniamus ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

COMMENDATIO.

ERgo Poloni Numinis
Canti Decus clariſſimum,
Iram ſupremi Numinis
Placans dato quod optimum,
Malum quod inſtat reprime,
Vires repellens hoſtium,
Iſtis diebus exprime
Te Patriæ Patrem pium. Amen.

O R A T I O.

O Præclarum & ingens exemplar veræ humilitatis, & ſumme contemptor mundi vanitatis, B. Joannes Canti, Doctor pacis & tranquillitatis vitæ Chriſtianæ, auctor miſericordiæ & condolentiæ ſuper miſeria proximi. Oro Te per iſta dona, quæ Tibi à DEO ſunt conceſſa, ut intercedas pro nobis in iſtis vitæ periculis conſtitutis, ut in caſtitate, humilitate, & amore DEI, proximique viventes, rectâ conſcientiâ & exemplo ſanctæ vitæ alijs præluceamus, ac Domini noſtri IESU Chriſti, per ſolius meritum & gratiam, promiſſionibus digni efficiamur, Amen.

ORA-

O R A T I O
Ad B. JOANNEM CANTIUM.

SAncte Joannes Canti, Doctor Dei, preces meas benignè suscipe, meque viam iniquitatis fac deserere, & viam sanctitatis apprehendere doce, & adjuva me. Et cùm dies extremus mihi advenerit, tu me protectionis tuæ munimine conserva, & ab ira justi Iudicis clementer libera, cælestisque vitæ gloriam impetra, Amen.

L I T A N I Æ
D E
B. JOANNE CANTIO.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus,	Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,	Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	Miserere nobis.
Beate Joannes Canti,	Ora pro nobis.
Vir inclyte,	Ora pro nobis.
Pater clementissime,	Ora pro nobis.
Mystes optime,	Ora pro nobis.
Confessor venerabilis,	Ora pro nobis.
Famule Jesu Christi,	Ora pro nobis.
Deiparæ Virginis cultor,	Ora pro nobis.
Mentium Beatarum imitator,	Ora pro nobis.
Hæres cælestis,	Ora pro nobis.
Polonorum decus,	Ora pro nobis.
Incola & tutor Cracoviæ,	Ora pro nobis.
Alumne Sanctæ Annæ,	Ora pro nobis.
Honorificentia populi Christiani,	Ora pro nobis.
Fax virtutum,	Ora pro nobis.

Speculum innocentiæ, Ora pro nobis.
Regula perfectionis, Ora pro nobis.
Sacrarium timoris Domini, Ora pro nobis.
Operator miraculorum, Ora pro nobis.
Suscitator mortuorum, Ora pro nobis.
Firmamentum Academicum, Ora pro nobis.
Doctor Pacis, Ora pro nobis.
Gloria Sacerdotum, Ora pro nobis.
Sydus fulgens Ecclesiæ, Ora pro nobis.
Contemptor mundi, Ora pro nobis.
Domitor carnis, Ora pro nobis.
Victor Sathanæ, Ora pro nobis.
Patrone Studiosorum, Ora pro nobis.
Magister ignorantium, Ora pro nobis.
Lucerna ardens amore proximi, Ora pro nobis.
Salus infirmorum, Ora pro nobis.
Nutritie pauperum, Ora pro nobis.
Refugium afflictorum, Ora pro nobis.
Lumen cæcorum, Ora pro nobis.
Vita morientium, Ora pro nobis.
Liberator captivorum, Ora pro nobis.
Exorator peccatorum, Ora pro nobis.
Portus naufragantium, Ora pro nobis.
Custos peregrinantium, Ora pro nobis.
Auxiliator parturientium, Ora pro nobis.
Præco Judicij Divini, Ora pro nobis.
Tutelaris & Patriarcha noster, Ora pro nobis.
Consors Sanctorum Omnium, Ora pro nobis.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nos ab omni calamitatum genere custodire digneris, Te rogamus audi nos.
Ut toti Regno, Ecclesiæ, & Academiæ patrocinari digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nobis pacem, gratiam, & vitam æternam impetrare digneris, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes Canti,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui B. Joannem Cantium Confessorem tuum, atq; nostrum apud Te Patronum eligere dignatus es; præsta quæsumus, ut quidquid mali peccatorum nostrorum turpitudine, dicto, facto, & cogitatione promeruimus; aut scienter, vel ignoranter commisimus; ejus pia intercessione, etiam ab omnium inimicorum adversitatibus, ac tristitia mentis & corporis liberari mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio ad B. Virginem Divi Anselmi.

SAncta, & inter omnes Sanctos post DEUM singulariter Sancta MARIA, Mater admirabilis virginitatis: Virgo amabilis fæcunditatis, quæ Filium Altissimi genuisti, quæ perdito humano generi Salvatorem peperisti; Domina præfulgens tantâ castitate, supereminens tantâ dignitate; quam utique certum est, præclaram esse potentiâ & pietate: Tibi, ô Genitrix vitæ, ô Mater salutis, ô Templum pietatis & misericordiæ: Tibi se se conatur præsentare miserabilis anima mea, morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum scissa; ulceribus flagitiorum putrida. Tibi nititur quantum moribunda valet supplicare, ut potentibus tuis meritis, & pijs tuis precibus digneris eam sanare. Fac

Domina: Exaudi me Domina. Etiam rogo benedictum fructum ventris tui, qui ſedet in dextera Omnipotentis Patris ſui ſuperlaudabilis & ſupergloriofus in ſæcula, Amen.

Deus Propitius eſto mihi, ter dicatur, & ter Pater noſter, & Ave Maria, &c. in honorem SS. Annæ.

HYMNUS DE B. JOANNE CANTIO.

INclytum Regni columen Poloni,
Magne Doctorum Pater alme Canti,
Lechicos inter radians Patronos,
Poſce Tonantem.
Solis ut claros rotat orbis ignes,
Sic micat noſtro tua lux in Orbe,
Noctis ut Princeps ſuperat minores,
Cynthia flammas,
Grande virtutum teneris ab annis
Te jubar cinxit, niveiq; dotes
Pectoris, devotaque mens profundo,
Numine merſa.
Regiæ magni Jagelonis aulæ,
Diva quam Pallas, Cracidos beatis
Incolit tectis, lapis angularis,
Atq; columna es.
Te Sophûm mitræ, viridesq; laurus,
Quas tuæ frontis nive conſecraſti,
Prædicant unum, ſibi de tuoq;
Munere vivunt.
Terna te Laurus triplici coronans
Fronde, mortali poſitum ſub umbra

Jam perennantis beat, ut sitisti,
Pignore laudis;
Arte cælesti probitatis in Te
Norma formata est, voluitq; pingi
In tuo primùm speculo togatæ
Regula vitæ.
Asperi carnem domuere cultus:
Cor tibi flammis amor ussit ingens.
Divitis prædæ data vestis instar
Cessit & esca.
Sæpiùs vestes tulit indigentûm
Nuditas, quæ cor tibi lancinabat;
Quo tegis nudum tibi Christus ipse
Reddit amictum.
Virginum Virgo tibi destinatum
Contulit vitæ decus innocentis;
Dum tibi castâ posuit virentem
Fronte coronam;
Addidit pennas tibi vis amoris
Ad viam Sacri properans Sepulchri;
Æstuans longè positas salutis
Curris ad undas.
Dulcis est visus tibi sudor omnis,
Arctiùs qui te superis ligabat,
Viluit mundi comitata multo
Felle voluptas.
Noctium Sacras vigilesq; curas
Flammeus cordis superabat ardor;
Tanta de cælo tibi gratiarum
Copia fluxit.
Hinc tibi sensus humiles, placentq;
Ima contemptus tumidusq; sæcli
Vincitur fastus, pede mortis atra
Colla premente.

Bethleem dum ſol oritur tenellus,
Occidis ſydus Lechiæ coruſcum;
Faſcijs carum tenuit Joannem
Te Deus infans.
Sic vetus tranſit rigor, in beatæ
Gaudium vitæ; grave ſed relictis
Vulnus hæſiſſet, niſi ſacra nobis
Buſta dediſſes.
Mira queis grati data vis odoris,
Et ſolum latè reficit Polumq;,
Ad tuos dum tot cineres ſtupenda
Computat acta.
Vota quod plebis pia tot fatentur,
Luxq; cis Sacrum tumulum perennis,
Quam preces ſemper venias petentum
Pronus ad omnes.
Ergò Lechæi diadema Regni
Protege, & ſummos Pater alme faſces;
Regia nam te poſuit Patronum
Numen in Urbe.
Vindices iras ſolij tremendi
Tolle, placando; dabit hoc petenti
Summa majeſtas, redeatq; cælo
Pax bona per te.
Cracij muſis faveas Lycei
Magnus in Regno Lechiæ Patronus,
In tuo natos gremio, parentum;
Optime ſerva.
Mentium lumen, ſapientiæq;
Impetra nobis jubar, ut beato
Lucis æternæ potiamur omnes,
Te duce, Regno.



FOEDUS
Perpetuum humanæ voluntatis cum Divina.

ORtum est Fœdus in Polonia Anno 1663. sub tempus sacri Fœderis Militaris, includens in se speciales Actus virtutum, unde eius dignitas & utilitas, imò & necessitas facilè colligitur. Potest usui venire loco devotionis matutinæ seu vespertinæ. Qui eius voluerit fieri particeps, duo agat. Primò Pactum Fœderis subsequens in dies devotè oret. Secundò, quoscunque poterit ad Societatem Fœderis, sedulò pertrahat & invitet.

Pactum Fœderis.

VOluntas tua, DEUS meus, per quam & propter quam creata sunt omnia, est primum principium, à quo totum hoc, quod sum & possum habeo; est finis ultimus, ad quem tendere debeo: est unicum beatitudinis centrum, in quo securè & feliciter conquiescere valeo. Hujus ductum si sequor, omne malum supero, omnes affectus edomo, omne bonum consequor. Hujus mandatum si exequor, omne peccatum aufero, omnes virtutes adipiscor, omnem legem tuam adimpleo. Hanc proinde nunc & semper cernuus honoro, adoro & revereor. Hanc credo Rectricem universi. Hanc æstimo super omnia. Hanc laudo benedico, & glorifico. Pro ejus Regimine in omnibus tam prosperis, quàm adversis tibi DEUS meus infinitas ago gratias. In hac omnem spem & felicitatem repono. Ipsa est tota fiducia mea in omni occasione. Huic me totum nunc pro semper in perpetuum mancipium offero, dono, dedico & consecro. Hujus decretis & dispositioni me cum tota universitate regendum plenariè trado & reconsigno. Gaudeo animitùs & Tibi ô DEUS congaudeo, quòd in cælo à beatis spiritibus, & in terra à justis voluntas Tua integrè perficiatur. Doleo autem & commoveor, quòd voluntas dæmonum, damnatorum & peccatorum etiamnum voluntati Tuæ repugnet. Quia tamen eidem nullatenùs resistere potest: nec ulla adversa creatura finalem ipsius ordinationem effugere valet, plurimùm lætor Tibiq; congratulor. Meam porro perversam voluntatem optimæ voluntati Tuæ, ô summum Bonum! frequentissimè contrariam fuisse, ex corde tristor & doleo. Sed jam ex nunc voluntatis Tuæ præcepta in omni actione & passione mea efficacissimè exequi, tuâ nixus ope, firmissimè propo-

propono, ſtatuo, & enixiſſimè appromitto: Odi, fugio, deteſtor, abominor omne peccatum, & quidquid ſanctiſſimæ voluntati Tuæ diſplicere cognoſco vel cognovero. Propter hanc memetipſum abnego; & propriæ voluntati abrenuncio; optoque cordicitùs, ut dehinc in me non mea ſed Tua voluntas ſit, in cujus omni beneplacito etiam cujuſvis adverſitatis mihi complaceo & conquieſco. Qui adeo ſum reſignatus, ut etiam æternùm damnari paratus ſim, ô amor mi, ſi ita velis, dummodo acceptiſſimæ voluntati Tuæ per omnem æternitatem nihil agam contrarium; cui ſoli placere intendo & concupiſco propter ſolum guſtum Tuum, licet nullum commodum meum. Te enim ô inæſtimabile bonum propter temetipſum ſuper omnia toto eſſe & poſſe meo animitùs diligo, & voluntatem tuam, quæ idem tecum eſt, unicè amo, complector & exoſculor, eique intimè uniri, & totaliter conformari, ardentiſſimè deſidero Quàm vellem ſi poſſem, mi Creator & Salvator, inducere omnem creaturam rationalem ad obediendum voluntati Tuæ, prout eidem omnis creatura irrationalis obtemperat. Huic me cum omnibus voluntatis Tuæ cultoribus ſigillatim in hoc Fœdere comprehenſis plenariè commendo, & unitivè reconſigno; ut ſicut Tu, ô trina Vnitas, unum in Te es, ita & nos tecum ſimus conſummati in unum. Per hanc obteſtor Te, ô mi Deus, doce nos facere voluntatem Tuam. Da nobis perſeverantem in Tua voluntate famulatum, fac nos ſemper voluntatis Tuæ memores, & fideles ac conſtantes in ejus obſequio ex motivo amoris Tui, ut ſimus ſecundùm cor Tuum Denique oro, fiat de nobis, in nobis, & per nos, quàm perfectiſſimè in omnibus, & ſuper omnia, Deus meus & omnia, nunc & perpetim ſanctiſſima voluntas Tua. Fiat inquam ad unicum laudis honoris & gloriæ Tuæ augmentum, fiat in holocauſtum & tributum amoris majeſtati Tuæ ab omni creatura debitum, quod per cor Domini Jesu, Beatiſſimæ Virginis & Matris Mariæ, atque omnium Sanctorum ex affectu totius univerſitatis in unione omnium actuum, meritorum, Tuæ dignitati gratorum digneris clementer acceptare, Amen.

Fœdus amatorum Crucifixi IESV.

Cœpit Duaci in Flandria Anno 1630. hoc Fœdus & duo requirit. 1. Quotidie dimidio quadrante horæ aliquid è Paſsione Dominicâ meditari, & in fine vel ſequens pactum, vel unum Pater noſter pro confœderatis omnibus abſolvere.

vere; ut in manibus suis conscriptos agnoscere; & in vulneribus suis recondere, æternumq; beare dignetur IESVS Crucifixus. 2. Quoscunq; quivis poterit ad Societatem Fœderis asciscere. Quo facto quisque huius Fœderis fiet particeps; in quo iam milliones hominum per Europam censentur.

Pactum Fœderis.

MAnus Tuæ Domine fecerunt nos, manus inquám illæ, quæ cruci affixæ fuerunt pro nobis. Opera manuum Tuarum ne despicias. Vulnera manuum Tuarum precor ut inspicias. Ecce in manibus Tuis descripsisti nos. Lege ipsam scripturam & salva nos. O bone Jesu, exaudi nos, intra vulnera Tua absconde nos, nec permittas nos separari à Te. In hora mortis voca nos, & jube nos venire ad Te; ut cum Sanctis & Electis Tuis laudemus Te nunc & in æternum, Amen.

A. M. D. G. I. C. B. V. M. Honorem.



